l'inter de mon [illegible] . V

[illegible] — Yen — p. 10. fin [illegible]

DE SYNTAXI ANDOCIDEA QUÆSTIONES.

COMMENTATIO ACADEMICA,

CUJUS PARTEM PRIOREM

PERMISSU AMPL. ORD. PHIL. UPSAL.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS.

P. P.

J. A. ERIKSSON,

CAND. PHIL. VESTROG.

IN AUDITORIO GUSTAVIANO MINORE A. D. IV KAL. JUN. MDCCCLXXVII.

H. A. M. S.

HOLMIÆ

TYPIS DISCRIPSIT TYPOGRAPHIA CENTRALIS

MDCCCLXXVII.

Veram esse minimeque addubitandam sententiam illam omnium hominum doctorum, qua magnam contendant inter orationem solutam sermonemque poëticum intercedere discrepantiam, neminem sane fugit, qui primis tantum labris linguam illam veterum Græcorum attigerit. Non tamen inter hæc solum duo scribendi genera hæc observatur discrepantia, sed in singulo quoque per se genere se manifestat. Si quis enim diligentius paulo scripta auctorum diversis temporibus viventium perspexerit eorumque inter se genera scribendi contulerit, ei perfacile apparebit, magnam interesse differentiam inter eos, qui primi opera sua literis mandarent, et eos, qui iis viverent scriberentque temporibus, quibus exculta plane atque ad summam deducta erat perfectionem hæc lingua. Neque id mirum. Nihil enim umquam uno eodemque tempore perfectum evasit, sed a parvo initio exorta res unaquæque in dies magis magisque excolitur atque augetur, tum variationi temporum hominumque subjecta, senescit atque ad interitum appropinquat. Quod quidem in hac quoque lingua valere putandum est. Nam sicut animi moresque uniuscujusque populi non iidem semper manent, sed iterum ac sæpius commutantur ac quasi corriguntur, ita formæ quoque linguæ, quæ maxima ex parte ex iis pendere putanda est, non semper immutatæ manserint sed cum vicissitudine eorum congruentes diversis temporibus longe aliæ exstiterint necesse est. Patet igitur ad linguam penitus cognoscendam non sufficere unum vel alterum cognovisse scriptorem, sed omnes fere percensendos et perscrutandos, si futurum sit, ut intelligatur, qualis fuerit hæc lingua unaquaque ætate quaque ratione mutatum sit genus scribendi ejusdem. Qua in re quum viderem nostratium multos eosque viros doctissimos acutissimosque singulas partes syntaxis linguæ Græcæ percensuisse atque illustrasse, neminem quantum scirem totam rem syntacticam auctoris cujusdam separatim tractasse, hæc ipsa res me admonuit, ut syntaxin Andocideam quantum fieri posset adumbrarem atque illustrarem, quod institui. Et quum intelligerem, hanc rem difficillimam esse multoque majores desiderare vires quam quæ mihi essent, opus tamen suscepi, sperans, fore, ut aliquid affere possem dignum, ad quod adverterentur animi hominum doctorum.

Ut vulgo constat, Andocides in decem illos oratores Atticos adnumeratur, inter quos tamen locum non occupat illustrem neque in perfectissimos atque sagacissimos quales sunt

Lysias, Demosthenes est referendus, [1] sed ex. judicio virorum doctissimorum in ultimo ponendus est loco et a criticis antiquis [2] adeo reprehenditur, ut jure mireris, eum in ordinem horum esse receptum. Ita in scribendi genere, quamquam cum principibus quasi illis hujus linguæ, quales sunt oratores, quos supra nominavimus, Plato, Thucydides, Xenophon, alii, minime est comparandus, præstitit tamen quod potuit ideoque eum non esse negligendum putavimus. Nam licet omnes priorum omnino temporum scriptores his longius abesse dicendi sint, id tamen iis tribuendum censemus, ut pro virili parte iis qui sequerentur viam quasi muniverint ac planam facilemque fecerint. Quod quidem Andocidi quoque quadam ex parte tribuendum, nemo sane negaverit.

Jam vero de ipso genere scribendi Andocides constat, varia fuisse et inter se repugnantia testimonia criticorum, quum alii tenuitatem, obscuritatem, inconcinnitatem magnopere reprehenderent, [3] alii subtilitatem, impetum, gravitatem ejus admirarentur. [4] Quæ quum ita sint haud facile est verum de stilo ejus proferre judicium. At tamen id concedendum sectatum esse eum vulgare illud genus dicendi neque magnam dedisse operam generi illi arte claborato ornatuque resperso, et concinnitati elegantiæque ita non consuluisse, ut eum ad jejunitatem proxime accedere pæne dicas. Simplex, sedatum minimeque vehemens adhibet scribendi genus. Etenim breviloquentiæ brevitatisque adeo non est studiosus, ut vocabula eadem exiguo interjecto intervallo iterata facile invenias, quod quum sæpissime fiat locos enumerare supervocaneum putamus. Sed non solum vocabula singula recurrunt, locutiones quædam et enuntiationes totæ eodem modo repetuntur iisdem fere verbis velut I: 3 ubi initio legitur: *εἰκότως — — — αὐτοὶ περὶ αὐτῶν ἔχουσιν* et in fine fere ejusdem sectionis *καὶ αὐτοὶ περὶ αὐτῶν ἔσχον.* I: 6, *αἰτοῦμαι οὖν ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες, εὔνοιαν πλείω παρασχέσθαι ἐμοὶ τῷ ἀπολογουμένῳ ἢ τοῖς κατηγόροις κτλ* et in fine: *εἰκὸς οὖν ὑμᾶς ἐστιν εὔνοιαν πλείω παρασχέσθαι ἐμοὶ κτλ.* Aeque verbosa habes I: 56, *σωθέντι μὴ δοκεῖν κακῷ εἶναι — — καὶ δοκεῖν ὑμῖν εἶναι μὴ κακός;* I: 58 et 59, *ἢ ἐγὼ μὴ εἰπὼν — — — μὴ εἰπὼν ὑμῖν — — — ἐμοῦ μὴ εἰπόντος· εἰπὼν δὲ κτλ;* I: 80 et 81, *ἐγένετο — γεγενημένων — γενόμενον — γεγενημένα;* II: 3, *ἀποδεικνύντος — ἀποδείξεις — ἀποδεῖξαι;* II: 9, *δυστυχέστατος — δυσδαιμονέστερος — ἀθλιώτατος.* Porro. I: 10, *ὥσπερ δὲ καὶ προεῖπον ὑμῖν, ὦ ἄνδρες, ἐξ ἀρχῆς περὶ πάντων ποιήσομαι τὴν ἀπολογίαν κτέ* et I: 34, *ὥσπερ καὶ ὑπεσχόμην ὑμῖν, οὕτω καὶ ποιήσω· ἐξ ἀρχῆς γὰρ ὑμᾶς διδάξω ἅπαντα τὰ γεγενημένα* I: 25, *οἱ δ' ἥκουσι καί εἰσιν ἐνθάδε καὶ πάρεισιν κτλ* et I: 35, *οἱ μὲν ἥκουσι καί εἰσιν ἐνθάδε* I: 106 et 130; I: 136 et 149. Varietatem plane non curans tribus deinceps fere paragraphis eadem usus est loquendi formula, quæ est *ἐγὼ ὑμᾶς διδάξω* I: 70, 72, 73, quæ præterea formula legitur I: 10 paulo mutata. In oratione

[1] Cfr. Die Attische Beredsamkeit von Gorgias bis Lysias. Dargestellt von Friedrich Blass. Leipzig 1868.

[2] Vide Plutarchum, Photium, Quinctilianum (inst. or. XII: 10, 21) Hermogenem alios.

[3] Cfr. Criticos, quos supra nominavi.

[4] Vide Sluiteri Lectiones Andocid.

secunda locutio illa *ἀγαθόν τι ποιῆσαι τὴν πόλιν* sæpius recurrit ut 1, 2, 4, 10, 12, 16, 17, 18 nonnihil variata. Idem fere fit cum his: *ἐν τῷ τότε* 12 addito *χρόνῳ*, 14, 15; *οὐδενὸς ἂν χρήματος δεξάμενοι*, 4 et 21, paulo variata, aliis. Item res eædem iisdem propemodum verbis expressæ redeunt non ita longo intervallo velut I: 90, 91, 103—109, 140; agitur his in locis de oblivione rerum ante actarum. De meritis majorum mentionem facit I: 141—143, 147. Quod in tertia quoque oratione fieri, patet. Recurrunt eædem fere enuntiationes 5 et 7, 4 et 6. De eadem re loquitur 2 et 29; 11, 12, 31, 39; 9 et 31, aliisque in locis.[1] Quæ quidem res efficiunt, ut languidum tractumque quodammodo reddatur genus ipsum scribendi minimeque delectationem moveat legentium. At tamen non desunt loci, in quibus concitatius fertur vividius que adhibet scribendi genus I: 4, 37—42. 43, 48, 49, 101, 104, 148; II: 7; III: 14 alii. Nonnulla præterea habet, quæ poëtas redolent I: 29, 67, 68, 99; II: 2, 11; III: 16, 34, ne de præpositione *εἵνεκα* dicam quæ jonicæ dialecto propria est.[2]

Si cui mirum videatur, cur nulla hujusmodi exempla ex oratione contra Alcibiadem habita attulerim; respondere volo, me putasse, non desiderari hac in re curam meam, quum vir ille doctissimus et sagacissimus M. H. E. Mejerus[3] Halensis hanc perscrutatus sit totam orationem eamque multo majore illustraverit diligentia et sagacitate, quam mea est. Quæ quidem oratio quamquam ex judicio hominum doctorum Andocidi abjudicatur,[4] hoc tamen non impedivit, quin in opusculo meo ea afferrem, quæ notabilia viderentur, quum editioni Blassii, quam secutus sum, inserta sit hæc oratio.

Quibus præmonitis ad rem ipsam, quam tractandam suscepi, aggrediamur. Qua in re ita agendum putavi ut primum ea afferrem, quæ Andocidis propria putarem, tum alia quoque, quæ aliis minus usitata essent scriptoribus, annotarem, denique res nonnullas licet omnibus tritas eam ab causam non præterirem, ut plenius pateret genus scribendi hujus auctoris.

---

[1] Cfr. præterea de his rebus Blass, Die Attische Beredsamkeit.
[2] Cfr. Blass.
[3] Vide Opuscula Academica.

De usu articuli.

Maximam vim habere in lingua Græca articulum, neminem sane fugit, qui vel minimam huic linguæ dederit operam. Nam vocabula, ad quæ addatur, et astrictissimis circumscribit finibus et conspicua magis atque eminentia reddit, qua quidem in re non vim solum suam ac propriam, demonstrativam dico, tuetur, sed pergavatur ut ita dicam et locum sæpissime occupat pronominum aliorum, qualia sunt possessiva, relativa. Significationem autem articuli relativam, quum apud poetas præcipue occurrat [1] et ab usu scribendi Atticorum abhorreat, missam faciamus, demonstrativam et possessivam paucis attingamus, ut pateant hi usus Andocidei. Ac demonstrativi quidem usus duplex observatur ratio, altera, quum habet articulus vim suam ac propriam, altera quum eandem habet vim atque alter-alter, alius-alius. [2] Illius rationis exempla hæc afferamus: I: 2. *οὒς ὑμεῖς ὀμόσαντες μέλλετε τὴν ψῆφον* (quali uti solebant) *οἴσειν;* I: 37, *ἐν ὑμῖν γὰρ ἦσαν οἱ λόγοι;* I: 44 *ἐπειδὴ τοὺς ἐγγυητὰς* (quales dare solebant) *κατέστησαν;* I: 119, *ἠξιοῦμεν ἂν γένει ὄντες ἐγγυτάτω ἔχειν τὰς παῖδας* (quas supra nominaverat). In exemplis alterius rationis afferendis haud sine usu esse putavi ea adjicere, quæ in usu particularum, quæ cum articulo conjunctæ inveniuntur, notabilia videntur. Constant enim plurimæ formulæ, quæ connectendis enuntiationibus inserviunt, ex articuli formis additis particulis quibusdam, [3] ita ut optime utramque rem hoc loco conjungere posse videamur. Sæpissime occurrit formula illa *ὁ μὲν — ὁ δέ*: I, 18 *τοῦ μὲν ἀδελφιδοῦς ἐστιν Αὐτοκράτωρ, τοῦ δὲ θεῖος Ἀκουμενός;* I: 47, *τὸν μὲν συνειδότα ἀποδεικνύς, τοῦ δ'ἐν τῇ οἰκίᾳ φάσκων τὴν σύνοδον γενέσθαι;* I: 48, *ἦκον δὲ τῷ μὲν μήτηρ τῷ δὲ ἀδελφὴ τῷ δὲ γυνὴ καὶ παῖδες.* Hujus modi connectendi formulæ occurrunt I: 45, 53, 67, 86, 105, 106, 119, 129. II: 1, 6, 10. III: 37, 39. IV: 4, 22 alibi. Non numquam omissa est particula *μέν* in parte priore et continuatur structura sola particula *δέ* tamquam præcedat *μέν*; I: 7 *οἱ δὲ αὖ, μαρτυρήσαντες τὰ ψευδῆ κτλ*, cui respondet præcedens illud *ὅτι πολλοὶ ἤδη πολλὰ κτέ.* In hoc quoque exemplo structura per *δέ* particulam continuatur: I 76, *ἑτέροις οὐκ ἦν γράφεσθαι, τοῖς δὲ ἐνδεῖξαι, τοῖς δὲ μὴ ἀναπλεῦσαι*

---

[1] Vide R. Kühner, Ausführliche Grammatik der Griechischen Sprache. Hannover 1872, § 460. Löfstedt § 67 I (annot. b).

[2] Kühner § 459 c) et d) cum annot. Löfstedt § 67 I.

[3] Kühn. § 459 I.

εἰς Ἑλλήσποντον, ἄλλοις δ' εἰς Ἰωνίαν τοῖς δ' εἰς τὴν ἀγορὰν μὴ εἰςιέναι πρόσταξις ἦν. In posteriore membro aliud quid vocabulum pro articulo scriptum invenitur I: 6 *οἱ μὲν γὰρ ἐκ πολλοῦ χρόνου ἐπιβουλεύσαντες καὶ συνθέντες — — ἐγὼ δὲ μετὰ δέους καὶ κινδύνου κτλ.* Ita scriptum est I: 76, quem locum supra attuli, *ἄλλοις* pro *τοῖς.* Articulum his in formulis locum occupare pronominis demonstrativi facile apparebit collatis locis talibus, ubi scriptum invenitur hoc pronomen [1] in eadem significatione atque articulus additis particulis, quas supra enumeravi, velut I: 103, II: 16, 17, III: 40.

Jam supra diximus, articulum vim habere pronominis possessivi, [2] quod quidem exemplis nonnullis ex orationibus Andocidis sumptis firmare volumus: I: 22 *ἔλεγχε σὺ τὸν πατέρα;* I: 44, *ἐπὶ τοὺς ἵππους ἀναβάντες ᾤχοντο εἰς τοὺς πολεμίους αὐτομολήσαντες.* quo in nexu semper fere additur articulus (cfr. Lys. XII: 13, Xen. Anab. I: 8, 3. Com. III: 3, 5); I: 45 *τὰ ὅπλα λαβόντες,* I: 49, *οἷς γὰρ ἔχρω καὶ οἷς συνῆσθα ἄνευ ἡμῶν τῶν συγγενῶν.* Hujus modi exempla præterea occurrunt I: 12, 20, 66, 68, 125, IV: 14, alibi; cum quibus apte conferri possunt loci I: 22, 41, 42.

Singulare mihi videtur aliisque minus usitatum est scriptoribus genus illud scribendi, quo genitivus qui dicitur possessivus ante substantivum regens positus est [3] neque ut vulgo fit post idem ponitur. Hoc tamen minime fit in omnibus locis, ubi conjunguntur duo substantiva, quorum alterum locum habet genitivi possessivi, sed pauca tantum hujusmodi observavimus exempla, quæ omnia afferamus: I: 15 *καὶ περὶ τῶν Ἑρμῶν τῆς περικοπῆς ἃ ᾔδει;* I: 31, *πρὸς δὲ τούτοις μεμύησθε καὶ ἑωράκατε τοῖν θεοῖν τὰ ἱερά;* I: 34, *Περὶ δὲ τῶν ἀναθημάτων τῆς περικοπῆς καὶ τῆς μηνύσεως;* I: 47, *τῶν δ' ἄλλων ἀκούσεσθε τὰ ὀνόματα* I:48 *τῶν μὲν παρόντων ὁρᾷς τὸ μέγεθος;* I: 68, *οἳ νῦν ὁρῶσι τοῦ ἡλίου τὸ φῶς δι ἐμέ;* IV: 10, *Ὧν ἕνεκα περὶ ἐμαυτοῦ παραλιπὼν Ἀλκιβιάδου τὸν βίον ἀναμνῆσαι βούλομαι;* IV: 22, *τοιγάρτοι τῶν νέων αἱ διατριβαὶ οὐκ ἐν τοῖς γυμνασίοις ἀλλ' ἐν τοῖς δικαστηρίοις εἰσί.* Quod scribendi genus quamquam singulare est et raro apud alios occurrit scriptores orationi solutæ, non tamen putamus licentia vel negligentia quadam exstitisse, sed ita scripsisse auctorem credimus, ut significaret, genitivum illum ante substantivum regens positum majoris esse momenti [4] quam substantivum regens, quod vocatur.

Ubi ad idem substantivum duo adduntur adjectiva, variat status horum adjectivorum ita, ut tum ambo ante substantivum ponantur ex. gr. II: 3, *καὶ τούτων ἀποδεικνύντος μου τοῖς βουλευταῖς σαφεῖς τε καὶ βεβαίους τὰς ἀποδείξεις;* [5] tum post idem omissa particula *καί* velut: [6]

---

[1] Cfr. Græsk Ordföiningslære af I. N. Madvig. Kjöbenhavn 1857. § 100 e) annot.

[2] Krüger § 461.2. Griechische Schulgrammatik von G. Curtius, Prag 1873 §§ 373 et 470. Löfstedt § 67 II a).

[3] Cfr. Kühner § 464, annot. I, qui nonnulla attulit exempla hujus constructionis. Cfr. Xenoph. Anab. I: 10. *Κύρου ἀποτέμνεται ἡ κεφαλή.*

[4] Cfr. Kühnen §§ 464 annot. I et § 463.3 A).

[5] Cfr. Kühn. § 405 d) a.

[6] Vide Kühner 464.7 g).

III: 7, *καὶ τὸ τεῖχος τὸ μακρὸν τὸ νότιον;* IV: 26, *λογιζόμενος τοὺς ἀγῶνας τοὺς ἱππικοὺς τύχῃ τοὺς πλείστους κρινομένους;* tum alterum ante substantivum ipsum, alterum post idem;[1] III: 5 *εἶτα τὸ μακρὸν τεῖχος τὸ βόρειον.* Eadem fere est ratio horum locorum II: 7, 21. Per se patet, in hujus modi construendi generibus, quæ minime apud alios desunt scriptores,[2] vim quandam ac pondus majus ei accedere adjectivo, quod priore ponatur loco.[3]

In usu articuli percensendo nonnullos invenimus locos, ubi additus est articulus, quum, cur adderetur, causam justam fuisse non putemus: I: 121, *γνοὺς ταῦτα Καλλίας λαγχάνει τῷ υἱεῖ τῷ ἑαυτοῦ τῆς ἐπικλήρου, τῇ δεκάτῃ ἱσταμένου.*[4] *ἵνα μὴ ἐπιδικάσωμαι ἐγώ, ταῖς δ' εἰκάσι κτλ.* II: 7, *ὃς εἰς τοσοῦτον ἦλθον τῆς ἐμαυτοῦ δυσδαιμονίας, εἴτε χρὴ εἰπεῖν νεότητί τε καὶ ἀνοίᾳ κτλ.* Præter exspectationem hic scriptus est quum articulus, tum pronomen *ἐμαυτοῦ* additum, quod insolenter fit, nam Atticos in hujus modi structuris et articulum et pronomen hoc omittere solitos esse, nemo sane negaverit, quod quidem observavit Andocides ipse aliis in locis.[5] Videtur pronomen loco motum et post *ἀνοίᾳ* inserendum esse. IV: 3 *εἶτα ἐν τοῖς τοιούτοις οἱ τοὺς ἑταίρους καὶ συνωμότας κεκτήμενοι πλέον φέρονται τῶν ἄλλων,* ubi articulus *τοὺς* aut tollendus aut cum *πολλοὺς* mutandus;[6] IV: 18, *καὶ πρὸς μὲν τὰς ἄλλας πόλεις ἐν τοῖς συμβόλοις συντιθέμεθα κτλ,* ubi excludi debet articulus *τάς;* nam foedera inter eas solum civitates iniri solita sunt, quibus frequentiora intercedebant commercia.[6] Vice versa nonnumquam omissus est articulus I: 45, *τὴν δὲ βουλὴν εἰς ἀκρόπολιν ἰέναι κἀκεῖ καθεύδειν* (cfr. III: 7, *ἀνηνέγκαμεν χίλια τάλαντα εἰς τὴν ἀκρόπολιν*); II: 7, *ἀλλὰ καὶ τὸν πατέρα οὐδὲν ἀδικοῦντα σὺν ἐμαυτῷ ἀποκτεῖναι,* ubi ante *οὐδὲν* desideratur articulus *τόν;* III: 11, *καὶ (τὰ) τείχη καθαιρεῖν,* quo loco articulum uncinis inclusum habet Blassius,[7] (cfr. III: 12 *τὰ τείχη καθαιρεῖν;* III: 31 *τὰ τείχη κατασκάπτειν*). In locutionibus *ἀληθῆ, ψευδῆ λέγειν, μηνύειν* simil. variat usus articuli; ita omissus est I: 10 *οὐδ' οἶδα τοὺς μηνύσαντας ὑμῖν περὶ αὐτῶν οὔτ' εἰ ψευδῆ οὔτ' εἰ ἀληθῆ ἐμήνυσαν;* I: 18 *Βλέπετε εἰς τούτους, καὶ μαρτυρεῖτε εἰ ἀληθῆ λέγω;* 22, 37, 55, 69, 112, 113 bis, 123; additus I: 7, *μαρτυρήσαντες τὰ ψευδῆ κτλ;* I: 11 *ἐὰν μὴ τἀληθῆ λέγω;* I: 20, *εἰ μὲν τἀληθῆ μηνύσειέ τις, εἶναι τὴν ἄδειαν, εἰ δὲ τὰ ψευδῆ, τεθνάναι;* I: 72 *ἀλλὰ γὰρ τἀληθῆ εἰρήσεται.*

Quod præcipiunt Grammaticæ, ad nomina quæ dicuntur propria plerumque omitti articulum, quum semel tantum nominatur tale nomen sed addi iterato eodem[8], Andocides nonnullis in locis hunc scribendi usum observavit, in multis autem alio genere scribendi

[1] Kühner § 464,7 g).
[2] Cfr. Xen. Anab. V: 4, 11 et 25. Thucyd. I: 108.
[3] Vide Kühn. § 463,3, A). Kr. 50: 9, 1.
[4] Vide Löfstedt § 67 V. 2. Kr. 50: 2, 16.
[5] Vide pag. 11.
[6] Vide Mejeri Opuscula Academica.
[7] Vide annot. hujus loci.
[8] Vide Kühn. § 462 a), Curt. § 371 a) et annot; Cfr. Krüger, Griechische Sprachlehre, Berlin 1862. Erster Theil, zweites Heft. § 50, 2, 11, qui aliam sequitur rationem.

usus est illasque leges Grammaticarum missas fecit. Nam sunt pleraque hujus modi nomina, quæ, quum sæpissime pæne in unaquaque pagina occurrant, semper articulo carent: *Ἀλκιβιάδης*, I: 11, 12, 13, 14, 16. IV: 2, 10, 13, 20, 21, 25, 29, 34, 35. *Ἀνδοκίδης*, I: 4, 40, 116. *Ἐπίλυκος*, I: 117, 119 ter, 121, 122, 124, 128. III: 29; *Εὐφίλητος*, I: 51, 56, 61, 62 bis, 63, 64, 67; *Εὐκλείδης*, I: 87, 88, 89, 93, 94, 99; *Ἱππόνικος*, I: 112, 115, 130 bis, 131 bis, IV: 13; *Λέαγρος*, I: 117, 118, 120 bis, 121; *Λυσίστρατος*, I: 52, 67, 122. *Τεῦκρος*, I: 15, 28, 34 bis, 52 bis, 59, 67. *Σόλων*, I: 81, 82, 83, 95, 111. *Δράκων*, I: 81, 82, 83, multa alia quæ omnia hic afferre operæ pretium esse minime putamus. In aliis tum additum invenimus articulum tum omissum: *Διοκλείδης* articulum habet I: 65, eodem caret I: 37, 53, 58, 60, 66, 67; *Καλλίας* habet I: 115, 117, 126, caret I: 112, 120, 121, 126, 130, 132. IV: 13, 15; *Πυθόνικος* habet I: 12, caret I: 11, 14, 27; *Σπεύσιππος* habet I: 17, 22 caret, iisdem in locis. Inter hujus modi nomina bis tantum recurrentia hæc afferam: *Εὔφημος*, I: 40, *Λέων*, I: 94, *Ἰσχόμαχος*, I: 124, 125, quæ priore loco articulo carent, posteriore habent; contraria autem est ratio nominis *Ἰσοτιμίδης*, quod articulum habet, I: 8, eodem caret, I, 71. Ad alia additum est pronomen quod est *οὑτοσί* l. *οὗτος*: *Ἀγύρριος*, I: 133. *Ἐπιχάρης*, I: 95. *Κηφίσιος*, I: 33, 71, 92. *Μέλητος*, I: 94; quorum recurrunt, *Ἐπιχάρης* I: 122, *Κηφίσιος*, I: 111, 121, 122, *Μέλητος*, I: 35, 63, 94 nullo addito neque articulo neque pronomine. Unum semel tantum occurrens articulum habet: *Διόνυσος*, I: 38. Incuria inconstantiaque scriptoris hac in re ex exemplis supra allatis perfacile animadvertitur et mirum sane videtur, eum tantam in se admisisse negligentiam, ut ne ad eorum quidem virorum nomina, qui ante oculos omnium versarentur aut certe omnibus cogniti essent, articulum addiderit[1] ex gr. *Ἀλκιβιάδης*, *Σόλων* al. Præteriens duo tantum exempla ex aliis afferam scriptoribus: Dem. Or. in Philipp. III: 59; *Εὐφραῖος δέ τις*, ibdm 60 *τὸν Εὐφραῖον* item 61, 62, 66. Xenoph. Anab. III: 1, 4, ubi nomen proprium *Ξενοφῶν* articulo caret, habet ibd. 5, 6, 8. —

Quum conjunguntur nomina quæ dicuntur appellativa cum propriis, articulum plerumque adsciscunt[2], I: 12, *Ἱκέσιον τὸν αὐλητήν*, I: 47. *Φρύνιχος ὁ ὀρχησάμενος*, I: 65. *Ἀλκιβιάδην τὸν Φηγούσιον;* ibd. *Ἀμίαντον, τὸν ἐξ Αἰγίνης;* I: 146, *Κλεοφῶν ὁ λυροποιός;* IV: 17. *Ἀγάθαρχον τὸν γραφέα.* Item quum dicitur cujus sit frater aliquis ad nomen *ἀδελφός* articulum addidit, I: 40. *Εὔφημον τὸν Καλλίου τοῦ Τηλεκλέους ἀδελφόν*, I: 47. *Εὐκράτης ὁ Νικίου ἀδελφός*, omisit tamen, I: 47; *Εὔφημος Καλλίου τοῦ Τηλεκλέους ἀδελφός*. Hac in re quamquam non plane constans sibi fuit scriptor inconstantiæ magnopere non est accusandus.

In nominibus autem gentilibus quæ dicuntur recurrit variatio illa articuli additi et omissi[3], ita nomen *Ἕλληνες* semper habet articulum velut, I: 32, 33, 107, 108, 130 bis, 140.

---

[1] Cfr. Kühn. § 462 a).
[2] Vide Kühn. § 462 annot. 1.
[3] Cfr. locos Grammaticarum supra citatos.

III: 5, 37, 38. IV: 6, 20, 27, 30, quod idem fit apud Lys. et Dem. His autem numquam additur articulus: *Ἀργεῖοι*, III: 9, 22, 26 ter, 27, 28, 31 bis, 32 (cfr. Dem. Or. in Phil. II: 9 et 15, quibus in locis articulum habet, item Xen. Hellen. V: 1, 29, 34); *Βοιωτοί*, I: 45. III: 13 bis, 18 bis, 20, 22, 24, 25 quater, 28, 32; *Λακεδαιμόνιοι*, I: 80, 142. III: 2, 3, 4, 5, 6, 7, 9, 10, 13, 15, 17, 21 bis, 24, 25, 26 bis, 27, 28, 29, 31, 32, 38. (Cfr. Dem. Or. Ph. I: 3 et II: 15 et Lys. XIII: 14); *Αἰγινῆται*, III: 6; *Μεγαρεῖς*, III: 8: *Ἐγεσταῖοι*, III: 30 bis; *Καταναῖοι*, III: 30; *Πελοποννήσιοι*, III: 38; *Κορίνθιοι*, III: 22, 26, 27, 32, 41; *Συρακούσιοι*, III: 30 ter; *Ἐφέσιοι*, *Χῖοι*, *Λέσβιοι*, IV: 30. *Ἀθηναῖοι* articulum habet I: 97 fin. III: 31 et quum additur *ὁ δῆμος* velut I: 98, III: 2, 4, 7, 10, 33 al., *τὸ πλῆθος*, I: 135; sæpissime omittitur I: 17, 39, 45, 51 bis, 53, 58, 77 bis, 79, 83, 87, 96, 98, 115, 139. IV: 34. (Variat apud Dem. quoque articulus ad hoc nomen, caret Or. in Ph. I: 5, 21, habet III: 44.) *Μήλιοι* articulum habet IV: 22. Cum exemplis hic allatis, in quibus omissus est articulus, ii conferendi sunt loci, ubi de toto non agitur populo quodam velut, I: 149 *καὶ μὴ βούλεσθε Θετταλοὺς καὶ Ἀνδρίους πολίτας ποιεῖσθαι*, III: 39, *πεισθέντες τοίνυν ὑφ ἡμῶν Λακεδαιμόνιοι πάρεισι νυνὶ πρέσβεις αὐτοκράτορες*, III: 41, IV: 28 alii. Minime sibi constantem fuisse scriptorem hac quoque in re, ex iis quæ supra attuli luculentissime patet.

Ad nomina quæ vocant localia transeamus. Variat etiam hic usus articuli.[1] Additum invenimus articulum ad hæc *Ἡφαιστεῖον*, I: 40; *Ἀνάκειον*, I: 45; *Θησεῖον* ibd.; *Ὀλυμπεῖον*, I: 16; *Φορβαντεῖον*, I: 62; *Ἐλευσίνιον*, I: 110, 111, 116, 132, quod tamen nihil habet miri, quum subaudiatur *ἱερόν* vel tale aliquid, idem fit, III: 31, *ἐπὶ τὴν Λακωνικὴν*, subauditur *γῆν*. Ad hæc contra omittitur articulus: *Δήλιον*, IV: 13; *Δεκέλεια*, I: 101; *Θημακός*, I: 17, 22; *Θετταλία*, IV: 41; *Θεσπρωτία* ibd.; *Ἰσθμός*, I: 132; *Κύπρος*, I: 4, 132, II: 20, 21; *Λαύριον*, I: 38, 39; *Λακεδαίμων*, III: 3, 6, 33; *Μουνυχία*, I: 80; *Μέγαρα*, *Πηγαὶ*, *Τροιζήν*, III: 3; *Νάξος*, III: 9; *Ὀλυμπία*, IV: 30; *Ὀρχομενός*, III: 13, 20 bis; *Πρυτανεῖον*, IV: 31; *Παλλήνιον*, I: 106; *Σικελία*, I: 11, 117, III: 30, IV: 41; *Ἄρειος πάγος*, I: 78, 79, 84; *Ἄργος*, III: 26 bis; *Κυνόσαργες*, I: 61; *Κόρινθος*, III: 18, 22, 24 bis, 26; *Ἑλλήσποντος*, I: 76, III: 21 (Cfr. Dem. Or. in Phil. III: 18); *Ἰωνία*, I: 76; *Εὔβοια*, III: 3, 9; *Σάμος*, II: 11; *Λῆμνος*, *Ἴμβρος*, *Σκῦρος*, III: 12, 14; *Λέχαιον*, III: 18; *Μακεδονία*, *Μολοττία*, *Ἰταλία*, IV: 41 alia. *Πειραιεὺς* articulo caret I: 45, 81, habet II: 21, III 5. (Cfr. cum his Dem. Or. in Philipp. II: 36, *τὰς Πύλας*, III: 18, *τῆς Εὐβοίας* ibd. *τὸν Ἑλλήσποντον*, III: 72 *τὴν Πελοπόννησον.)* Articulum habet *Ἑλλάς*, III: 18. —

Ad nomina, quæ dies festos significant, recte omisit articulum[2], I: 98 *πρὸ Διονυσίων;* I: 126 *λαβόντες δὲ οἱ προσήκοντες τῇ γυναικὶ τὸ παιδίον ἧκον ἐπὶ τὸν βωμὸν Ἀπατουρίοις*, I: 132 *πρῶτον γυμνασίαρχον Ἡφαιστείοις*,, quod scribendi genus amplexus est Lysias IV: 3,

[1] Cfr. Grammaticas.

[2] Cfr. Frohberger ad Lysiam I: 20.

VI: 4, XXI: 1, 4 alias; apud Dem. tamen legitur *τοῖς Διονυσίοις*, XXI: 163, 226, apud Andocidem vero I: 28, *Παναθηναίων τῷ ἀγῶνι.*

De Syntaxi Congruentiæ.

Venimus ad congruentiæ rationem, in qua nos primum conferamus ad constructionem illam *κατὰ σύνεσιν* quæ dicitur, qua fit, ut nomini alicui collectivo pluralis adjectivi vel participii vel pronominis numerus subjiciatur et quidem ejus generis, cujus est pro collectivo illo cogitandum vocabulum.[1] Ita fit, ut, quum ad substantivum collectivum duo adduntur apposita, alterum in numero singulari, alterum autem in plurali construatur velut I: 45 *ἡ δὲ βουλὴ ἐξελθοῦσα ἐν ἀπορρήτῳ συνέλαβεν ἡμᾶς καὶ ἔδησεν ἐν τοῖς ξύλοις ἀνακαλέσαντες κτλ*, subauditur *οἱ βουλευταί;* I: 51 *τὴν δὲ πόλιν ἐν κακοῖς οὖσαν τοῖς μεγίστοις καὶ ὑποψίαν εἰς ἀλλήλους ἔχοντας*, subauditur *τοὺς πολίτας.* Pronomen ad nomen singularis numeri relatum in plurali ponitur: II: 26 *εἵλετο μᾶλλον ἐκπεσεῖν μετὰ τοῦ δήμου καὶ φεύγων κακοπαθεῖν μᾶλλον ἢ προδότης αὐτῶν* (spectat ad *τοῦ δήμου*) *καταστῆναι.*

Eidem constructioni hoc annumerandum exemplum: IV: 22 *παραδείγματι τούτῳ χρώμενοι, ὃς τηλικαύτας ποιεῖται τῶν ἁμαρτημάτων ὑπερβολάς.* In usu numerorum præterea annotandum, pronomen relativum ad substantivum numeri pluralis, ut videtur, relatum, in singulari construi: IV: 2 *προθύμων μὲν καὶ ἀγαθῶν ἀνδρῶν ὑμῶν τυγχάνων, δι' ὅπερ σώζομαι,* ubi scriptum vult Baiterus cum Markl. *δι' ὧνπερ,* qui tamen locus aliter explicari possit, nam *δι' ὅπερ* ad totam melius refertur sententiam præcedentem quam ad vocabula illa *προθύμων μὲν και ἀγαθῶν.*[2] Huic rationi contraria est illa, quum pronomen demonstrativum ad substantivum singularis numeri spectans in plurali ponitur: IV: 25 *ἐξ αὐτῶν δὲ τούτων ἐπιδείξω αὐτὸν ἐπιτηδειότερον τεθνάναι μᾶλλον ἢ σώζεσθαι,* ubi expectatur *ἐξ αὐτῆς δὲ ταύτης,* spectat nempe ad *τῆς νίκης τῆς Ὀλυμπίασι,* quod paullo supra legitur.

Substantivo feminini generis neutrum pronominis conjunctum reperitur: III: 39 *ὅπως μὴ πάλιν ταῦτ' ἔχοντες ἀφορμὴν δύναμιν τῇ πόλει κατασκευάσαιμεν,* exspectatur pro *ταῦτ' ταύτην.* Quod scribendi genus, quamquam ab usu scriptorum non abhorret (cfr. Xen. Anab. I: 3, 18 *ταῦτα μὲν φλυαρίας εἶναι,* alibi) alterum tamen illud iis magis in usu est.[3] Quin etiam Andocides ipse scripsit, III: 37, *ταύτην δὲ λαβόντες ἀφορμὴν οἱ πατέρες ἡμῶν κτλ.* et IV: 19 *νομίζω δὲ ταύτην εἶναι σωτηρίαν ἅπασι* (Cfr. Lys. I: 5 *ταύτην γὰρ ἐμοὶ μόνην*

[1] Vide Kühner § 359, 3 a). Löfstedt 68 III annot. 3.
[2] Kühner § 361, 2.
[3] Cfr. Kühner § 369, 1 et 2.

ἡγοῦμαι σωτηρίαν, ibd. 6, 16. XXV: 15 alios locos, Xen. Hell. VII: 1, 44.) De discrepantia utriusque locutionis vide Kuhnerum.[1] Item pronomen relativum ad nomen feminini generis relatum, in neutro genere construitur: I: 10 *πρῶτον μὲν περὶ αὐτῆς τῆς αἰτίας ὅθνν περ ἡ ἔνδειξις ἐγένετο, διόπερ εἰς τὸν ἀγῶνα τόνδε κατέστην.*

Attributum ad complura relatum substantiva quum loco tum numero variat; ita locum habet tum ante substantiva, tum iisdem postponitur, tum in singulari construitur numero tum, in plurali.[2] Exempla hæc afferam: III: 17, *Σκέψασθε δὲ ὦ Ἀθηναῖοι καὶ τόδε, ὅτι νυνὶ πᾶσι τοῖς Ἕλλησι κοινὴν εἰρήνην καὶ ἐλευθερίαν πράττετε;* II: 8, *ἀναμνήσθητε δὲ ἐν οἵῳ κινδύνῳ τε καὶ ἀμηχανίᾳ καθέστατε;* I: 65, *ἐξελέγχοντες δὲ τὸ πρᾶγμα ἥ τε βουλὴ καὶ οἱ ζητηταί,* in quo exemplo attributum *ἐξελέγχοντες* priori antepositum substantivo in plurali numero construitur neque ut supra vidimus priori subjicitur, idque eam ob causam quod hic de personis agitur; I: 6 *ἐγὼ δὲ μετὰ δέους καὶ κινδύνου καὶ διαβολῆς τῆς μεγίστης τὴν ἀπολογίαν ποιοῦμαι,* ubi ultimo substantivo subjicitur attributum.[2]

Appositio per substantivum reddita et ad totam relata enuntiationem in Accusativo casu ponitur: III: 31, *ὕστερον δ' ὑπ' Ἀργείων ἐπείσθημεν, — — πλεύσαντες ἐπὶ τὴν Λακωνικὴν εἰρήνης ἡμῖν οὔσης πρὸς Λακεδαιμονίους ἐκκαλεῖν αὐτῶν τὸν θυμόν, ἀρχὴν πολλῶν κακῶν,* quem casum scripsit auctor, ut significaret, quæ ex iis, quæ supra erant allata, sequerentur.[3] Item formulæ illius loquendi *δυοῖν θάτερον*[4] appositio putanda est enuntiatio, quæ sequitur: III: 28. *Τούτων δ' ἐλπίδων μετασχόντας ἡμᾶς δεῖ δυοῖν θάτερον ἑλέσθαι, ἢ πολεμεῖν μετὰ Ἀργείων Λακεδαιμονίοις κτλ,* I: 57 paulo mutata: *εἰ μὲν γὰρ ἦν δυοῖν τὸ ἕτερον ἑλέσθαι ἢ αἰσχρῶς σωθῆναι.* Cfr. II: 7 et III: 26. Neque desunt exempla appositionis partitivæ[5] quam vocant: III: 12 *καὶ φεύγοντας νῦν μὲν οὐκ ἐπάναγκες οὐδένα καταδέχεσθαι* pro *φευγόντων;*

In usu appositionis Pleonasmum qui dicitur observavimus: II: 19, *τὰ δὲ μέλλοντά τε καὶ ἤδη πραττόμενα ἄνδρες ὑμῶν πεντακόσιοι ἐν ἀπορρήτῳ ἴσασιν, ἡ βουλή,* ubi vox *βουλὴ* melius abesse potest.

Genus illud scribendi, quæ Ellipsis[6] vocatur, ab usu Andocidis alienum non fuisse, hæc ostendent exempla: I: 77, *ψηφίσασθαι τὸν δῆμον ταὐτὰ ἅπερ ὅτε ἦν τὰ Μηδικά*[7] (subauditur *πράγματα*), I: 144, *εἰδότα δὲ οἷόν ἐστι ξένον εἶναι καὶ μέτοικον ἐν τῇ τῶν πλησίον* subauditur *πόλεων*) alia; non desunt tamen loci, ubi in iisdem fere vocabulis ellipsi non usus est, velut I: 140, *τοῦτ' εἰκότως ἤδη δοκεῖ ἀνδρῶν ἀγαθῶν καὶ σωφρόνων ἔργον εἶναι;* II: 1, *δεινότατον ἁπάντων χρημάτων ἡγοῦμαι;* II: 16, *ἀλλ' ὅμως καὶ ἐκ τούτων τοιούτων ὄντων*

---

[1] § 369, 2.
[2] Vide Kühner § 370 et annot. 3.
[3] Vide Kühner § 406, 6.
[4] Cfr. Kühner § 406 annot. 10.
[5] Vide Kühner § 406, 7.
[6] Cfr. Kühner § 403.
[7] Cfr. Kühn. § 403, a) δ.

ἀπαλλαγεὶς οὐκ ἔστιν ὅτι ἕτερον (ἔργον) περὶ πλείονος ἐποιούμην, in quo loco ἔργον uncinis inclusum habet Blassius. In hujus modi locutionibus omitti solere talia vocabula constat.[1]

Quum de ellipsi sit quæstio, haud incommodum putavimus hoc in loco ellipsin verbi εἶναι[2] paucis attingere. Quæ verbi ellipsis quamquam aliis quoque hujus linguæ scriptoribus usitatissima est ideoque minime Andocidis propria est putanda, tamen non nihil ad rem referre putavimus vocabula illa enumerare, ad quæ omittitur hoc verbum apud Andocidem. Forma verbi, quæ sæpissime omittitur, ἐστὶ est; vocabula hæc fere: ἀνάγκη I: 6, III: 26, aliis in locis, ἀναγκαῖος IV: 2, 28; ἄξιος IV: 3, 40; ἀνέλπιστος IV: 24; ἀδύνατος I: 8; δίκαιος I: 19, 143; IV: 37, 38; δεινός I: 102; ἕτοιμος III: 26, 40; ἐπάναγκες III: 12; οἷος I: 7, 86, 145, expositum est ἐστί II: 20; ῥᾴδιος IV: 6; ἐνθυμητέον I: 7; in formula interrogandi τί δὲ III: 6. Ad adjectivum εἰκός tum omittitur hæc verbi forma: I: 6, 7; II: 9, 10, 19, 26; III: 2, tum exponitur I: 6, 50 aliisque fortasse locis.

Antequam ad usum casuum exponendum transeamus hic illud commemorandum videtur, Andocidem in usu alloquendi formularum quodammodo a genere scribendi aliorum recedere.[3] In prima oratione, quæ apud judices habita est, sæpissime formula ὦ ἄνδρες usus est: 1 bis, 3, 5, 6, 8, 10, 14, 15, 19, 22, 25, 27, 29, 37, 39, 43, 46, 51, 52, 54, 56, 57, 60, 67, 69 bis, 85, 88, 92, 101, 102, 103 bis, 105, 106, 109, 113, 117, 120, 123, 124, 127, 128, 130 bis, 132, 139, 140, 142, 146; omissa particula ὦ semel legitur ἄνδρες 89; semel ὦ ἄνδρες δικασταί 136; bis ὦ Ἀθηναῖοι 91, 137. In oratione secunda, quæ in concione habita est, duplicem secutus est rationem tum ὦ ἄνδρες 1, 5, tum ὦ Ἀθηναῖοι 6, 17, 22, 24 dicens, eadem est ratio tertiæ, in qua semel occurrit ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι 13,[4] aliis autem locis ὦ Ἀθηναῖοι. In quarta semel tantum hujusmodi formula reperitur: ὦ Ἀθηναῖοι 36. Qua in re si usum aliorum inspexeris oratorum, invenies, Demosthenem in orationibus Philippicis semper formula ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι usum esse, Lysiam in oratione I: ὦ ἄνδρες et ὦ Ἀθηναῖοι, in or. XII et XIII tum ὦ ἄνδρες δικασταί tum ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, in or. X, XIV, XV, XXV, XXXII semper ὦ ἄνδρες δικασταί. Qua causa commotus varietatem illam in appellandi formulis adhibuerit Andocides, non facile mihi videtur ad dijudicandum. Fortasse illis temporibus non tam firmatus erat usus harum quam postea factus est.

---

[1] Vide Kühner locum mox citatum.
[2] Vide Kühner § 354.
[3] Cfr. Kühner § 357, 4.
[4] Cfr. præterea Mejeri Opuscula Acad.

De usu accusativi.

Accusativum multis verbis subjici, quæ animi affectiones indicant, res est notissima. Apud Andocidem verbum, quod est *ὀδύρεσθαι* cum accusativo rei conjunctum invenimus I: 48, *ἦν δὲ βοὴ καὶ οἶκτος κλαιόντων καὶ ὀδυρομένων τὰ παρόντα κακά,* quod construendi genus, si lexicis [1] credere licet, raro apud scriptores orationis solutæ occurrit. Poëtæ autem, qui liberiore delectantur scribendi genere sæpe huic verbo hunc casum subjiciunt. [2] Porro verbum *ἀφαιρεῖσθαι* cum accusativo personæ solius conjunctum reperitur IV: 27, *ἐπεὶ καὶ τοῖς πολίταις οὐκ ἐξ ἴσου χρῆται, ἀλλὰ τοὺς μὲν ἀφαιρούμενος, τοὺς δὲ τύπτων,* quod raro fieri, testis est Kuhnerus.[3] —

Quod attinet ad verba memoriæ quæ dicuntur neminem fugit, iis omnino genitivum casum et accusativum rei subjungi.[4] Apud Andocidem iis accusativus tum personæ tum rei subjungitur velut, IV: 33 *ἀναμνήσθητε δὲ καὶ τοὺς προγόνους* I: 19 *οὕτω γὰρ καὶ δίκαιον ἀπολογεῖσθαι, ἀναμιμνήσκοντα τοὺς τῶν κατηγόρων λόγους ἐξελέγχειν;* III: 29, *χρὴ γὰρ ἀναμνησθέντας τὰ γεγενημένα καλῶς βουλεύσασθαι;* III: 41, *μέμνησθε μὲν οὖν· ὦ Ἀθηναῖοι τοὺς ἡμετέρους λόγους;* IV: 10, *Ὧν ἕνεκα περὶ ἐμαυτοῦ παραλιπὼν Ἀλκιβιάδου τὸν βίον ἀμαμνῆσαι βούλομαι.* Neque tamen his verbis genitivum non apposuit Andocides: I: 80, *ἐγένετο (θ') ὑμῖν ὧν ἐγὼ οὐδὲν δέομαι μεμνῆσθαι οὐδ' ἀναμιμνήσκειν ὑμᾶς τῶν γεγενημένων κακῶν*; I: 141 *ἀναμνησθέντας αὐτῶν κτέ;* I: 142, *εἰκότως δ' ἂν αὐτῶν μεμνῆσθε;* I: 148. III: 10, 25. IV: 41, aliisque in locis. —

Consuetudinem illam scribendi, qua ad verbum quoddam non solum transitivum, verum etiam intransitivum et passivum accedere nomen ejusdem originis[5] in casu accusativo, communem habet Andocides cum aliis hujus linguæ scriptoribus. Exempla proferam: III: 38 *λαθόντες δὲ Πελοποννησίους τειχισάμενοι τὰ τείχη;* I: 73, *ὁπόσοι εὐθύνας ὦφλον ἄρξαντες ἀρχάς* et mox infra *ἢ ἐγγύας ἠγγυήσαντο πρὸς τὸ δημόσιον;* I: 20, *καὶ ὁ πατὴρ ἐπείσθη ἀγῶνα τοιοῦτον ἀγωνίσασθαι;* I: 30, *δηλονότι γὰρ τοῖς μὲν ἡμαρτηκόσι τὰ τοιαῦτα ἁμαρτήματα οὐκ ἔστιν ἀπολογία κτλ.;* I: 31, *καὶ ἀρασάμενοι τὰς μεγίστας ἀρὰς ὑμῖν τε αὐτοῖς κτλ.;* I: 96, *ἢ ἀρχήν τινα ἄρχῃ κτέ.;* I: 147, *οἱ πλείστας μὲν στρατηγήσαντες στρατηγίας κτλ.* et mox infra *πλείστας δὲ ἄλλας ἀρχὰς ἄρξαντες.* Pro nomine ejusdem originis alia quoque nomina substitui possunt velut III: 19 *εἰ μίαν μόνον μάχην ἡττήθησαν;* III: 23, *ποίαν τιν' οὖν χρὴ εἰρήνην πρεσβεύοντας ἥκειν* (cfr. III: 29). Unde fluxerunt structuræ illæ, in quibus pro tali substantivo

[1] Cfr. Passow, Handwörterbuch der griechischen Sprache, Leipzig 1841 et Melin, Handlexicon öfver Grekiska språket, Lund 1843.

[2] Cfr. ex. gr. Hom. Il. II: 315.

[3] Vide § 411 annot. 10 Cfr. Xen. Anab. IV: 4, 12, *τάχα ἀναστάς τις καὶ ἄλλος ἐκείνου ἀφελόμενος ἔσχισεν,* I: 3, 4. VII: 1, 28. Thucyd. III: 58, 4 cfr. præterea Xen. An. V: 5, 10. VI: 4, 17.

[4] Vide Kühner § 417, 6 et annot. 12. Curt. § 420 a) et annot.

[5] Vide Kühner § 410, 2. Curt. § 400. Krüg. 52, 4, 7 et 8.

neutrum pronominis vel adjectivi in accusativo positum invenitur [1] velut I: 30 *ὅτι οὐδὲν ἡμάρτηκα;* I: 50, *ἔτι δὲ ἐμέ, ὃς ἐν ἅπαντι τῷ βίῳ ἠνίασα μέν σε οὐδὲν πώποτε;* I: 80, *ἐγένετο (θ') ὑμῖν ὧν ἐγὼ οὐδὲν δέομαι μεμνῆσθαι κτλ.;* multis aliis locis.

Accusativi mensuræ qui dicitur, tempus significantis, plurima pretereo exempla, quum nihil habeant miri, duo tantum paucis attingam, in quibus *εἰς* præpositio addita fortasse exspectatur [2]: III: 4, *καὶ τότε ἡμῖν εἰρήνη ἐγένετο πρὸς Λακεδαιμονίους ἔτη πεντήκοντα;* III: 6, *οὗτοι ἡμῖν εἰρήνην ἐποίησαν πρὸς Λακεδαιμονίους ἔτη τριάκοντα* (cfr. III: 29 *σπονδὰς ποιησάμενοι καὶ συνθέμενοι φιλίαν εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον* et II: 8, *ἃ ἐμοὶ μὲν λύπας ἐπὶ χρόνον πλεῖστον οἴσειν ἔμελλεν).* Usurpatur præterea accusativus mensuræ aute comparativa verbaque iis similia pro sæpius usitato dativo [3]: I: 2, *ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον σώσειν δικαίως κτλ.,* I: 5, *πολὺ ἂν αὐτῆς μᾶλλον ἐγὼ πολίτης κτλ.;* I: 30, 113, 146. II: 25. Pro hoc accusativo sæpius usurpari dativum suo loco plenius memorabitur.

Liberior est usus accusativi, ubi cum verbis adjectivisque nectitur causa indicandi, ad quæ maxime pertinet prædicatum sententiæ vel adjectivum [4]: I: 61, *ὕστερον δ' ἐγὼ μὲν ἐν Κυνοσάργει ἐπὶ πωλίον ὅ μοι ἦν ἀναβὰς ἔπεσον καὶ τὴν κλεῖν συνετρίβην καὶ τὴν κεφαλὴν κατεάγην* [5]; I: 138, *καὶ τὰ σφέτερα αὐτῶν σώματα αἰκισθέντες ἀπέθανον;* III: 18, *αὖθις ἐν Βοιωτοῖς, ὅτ' αὐτῶν Ἀγησίλαος ἡγεῖτο, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τότε τὴν νίκην ἐποιήσαντο* (cfr. III: 20 *οὗτοι δ' αὖ τούτῳ τῷ τρόπῳ τὸν πόλεμον καταλύονται),* I: 38, *ὁρᾶν δὲ ἀνθρώπους τὸν μὲν ἀριθμὸν μάλιστα τριακοσίους.* I: 74, *οὗτοι πάντες ἄτιμοι ἦσαν τὰ σώματα;* I: 73, *καὶ τίνα τρόπον;* I: 95 *ἢ νῦν ὁ ἀποκτείνας σε καθαρὸς τὰς χεῖρας;* I: 100, *καὶ ταῦτα οὕτω μοχθηρὸς ὢν τὴν ἰδέαν;* aliis locis. —

Duplex accusativus objecti, ut ita dicam, absoluti et relativi invenitur in locutione illa *ἀγαθόν τι ποιῆσαι* vel *ἐργάσασθαι τὴν πόλιν,* quæ paulo mutata sæpius recurrit: II: 1, *ὅπου μέντοι δεῖ τὴν πόλιν ἐμέ τι ποιῆσαι ἀγαθόν;* II: 18, *ὅστις τοῖς ἑαυτοῦ παρακινδυνεύων χρήμασί τε καὶ σώματι τολμῴη ἀγαθόν τι ποιεῖν τοὺς ἑαυτοῦ πολίτας;* II: 23. II: 10, *ἢ τὴν πόλιν ταύτην ἀγαθόν τι τοσοῦτον ἐργάσασθαι;* II: 16, 17, 18. (Ad similitudinem horum verborum passiva quadem vi dicitur: II: 2 *εἴ τι ὑμᾶς χρὴ ἀγαθὸν ἐμοῦ ἐπαυρέσθαι* et II: 4, *οὐδενὸς ἂν χρήματος δεξάμενοι ὑμάς τι ἀγαθὸν ἐξ ἐμοῦ πρᾶξαι,* ubi usurpatur hoc verbum in eadem significatione atque verbum *πάσχειν.* [6])

Participia hujus casus absolute posita invenimus: I: 81, *δόξαντα δὲ ὑμῖν ταῦτα εἵλεσθε ἄνδρας εἴκοσι* ibd. *γενόμενον ἐφ' ὑμῖν τιμωρεῖσθαι κτλ.,* II: 11, *καὶ παρόν μοι πέντε δραχμῶν τὴν τιμὴν αὐτῶν δέξασθαι κτέ.* II: 26 *ἐξὸν αὐτῷ διαλλαχθέντι τῆς ἔχθρας κτλ.* III: 28 *ἐξὸν δι' ἡμᾶς αὐτοὺς εἰρήνην ἄγειν.*

---

[1] Cfr. Kühn. § 410, 3 annot. 5.
[2] Cfr. Kühn. § 410 annot. 12.
[3] Cfr. Kühn. § 410, 5.
[4] Vide Kühn. § 410, 6. Curt. § 404.
[5] Genitivum quoque hoc in nexu occurrere docet Kühn. § 416 an 2. Cfr. Isocr. 18, 52.
[6] Cfr. Passow, Andoc. IV: 5, Curt. § 402 annot. 1.

De usu genitivi.

Usum genitivi attributivi qui dicitnr liberiorem esse latiusque patere in lingua Græca quam in Latina, grammatici docent et usu confirmatur. Ita quum de cognatione quadam quæritur, duo nomina propria eo modo conjunguntur, ut nullo, quod ipsum necessitudinis gradum indicet, apposito appellativo, alterum genitivo casu ponatur addito articulo vocabuli, quod quasi subauditur.[1] Ex orationibus Andocidis hæc exempla afferam: I: 47, *Καλλίας ὁ Ἀλκμαίονος*; I: 112 *Καλλίας ὁ Ἱππονίκου*; I: 126 *Καλλίου τοῦ Ἱππονίκου*; III: 3 *Μιλτιάδην τὸν Κίμωνος*; III: 8 *Νικίας ὁ Νικηράτου*; IV: 32 *Καλλίαν τὸν Διδυμίου*. Bis tamen articulum omisit auctor: I: 47 *Χαρμίδης Ἀριστοτέλους*; III: 29 *Ἐπίλυκος Τισάνδρου*[2] et semel nomen *υἱός* additum invenimus I: 47 *Νισαῖος, υἱὸς Ταυρέου.* Sed non solum in cognatione commemoranda, verum etiam, quum dicitur, cujus in possessione sit aliquis vel res aliqua[3], hoc construendi genus usurpatur: I: 17 *Λυδὸς ὁ Φερεκλέους τοῦ Θημαχέως* I: 19 idem fere[4]; I: 38 *ἐπεὶ δὲ παρὰ τὸ προπύλαιον τοῦ Διονύσου ἦν*; I: 42 *ἡμᾶς δὲ κελεύειν αὐτὸν ἥκειν εἰς Καλλίου τοῦ Τηλεκλέους* omisso articulo et mox infra: *ἥκειν ἔφη εἰς Καλλίου.* Sibi tamen minime constans uno loco I: 40 scripsit: *καὶ νῦν ἥκειν κελεῦσαί οἱ εἰς τὴν Λεωγόρου οἰκίαν κτλ.*

Usitatissima deinde est partis significatio, simplicissima, quum duo substantiva conjuncta sunt, cujus rei exemplum unum tantum e multis afferam: I: 134 *τούτους δ' ἐποίησα τῶν ὑμετέρων μὴ διανείμασθαι ἓξ τάλαντα ἀργυρίου.* Idem genitivus cum verbis conjunctus invenitur: I: 36 *Ἐπειδὴ δὲ ταῦτα ἐγένετο, Πείσανδρος καὶ Χαρικλῆς, ὄντες τῶν μὲν ζητητῶν κτλ.*; I: 135 *ἄνθρωπος οὑτοσὶ οὔτε αὐτὸς λήψεται τῶν κοινῶν χρημάτων οὐδ' ἡμᾶς ἐάσει*; III: 23 *οἱ μὲν τοίνυν ἄλλοι τὴν εἰρήνην ποιοῦνται τῶν ὑπαρχόντων ἀφιέντες κτλ.* I: 116, III: 6; aliis in locis. Hunc genitivum ex vocabulo aliquo omisso minime pendere ostendunt Kuhnerus et Curtius.[5] Ad hunc genitivum referenda sunt ea quoque exempla, in quibus genitivus a pronomine, vim substantivi habente, pendet[6]: I: 122 *εἰς τοῦτο βδελυρίας ἦλθε καὶ παρανομίας*; II: 7 *ὃς εἰς τοσοῦτον ἦλθον τῆς ἐμαυτοῦ δυσδαιμονίας,* de quo loco supra disputavimus; IV: 17 *ὃς εἰς τοσοῦτον ἐλήλυθε τόλμης,* quod dicendi genus aliis etiam scriptoribus usitatissimum est velut Lys. XII: 22. *Καὶ εἰς τοσοῦτόν εἰσι τόλμης ἀφιγμένοι.* Isocr. VII: 9 *εἰς τοῦτο ἀναισθησίας ἥκειν.* Herod. VII: 38. Thucyd. I: 49 al. — Contra alia usus est constructione II: 7 mox infra exemplum supra citatum: *εἴτε καὶ δυνάμει τῶν*

---

[1] Vide Kühn. § 414, 2. Curt. § 409.
[2] Cfr. annot. hujus loci.
[3] Vide Curtium § 411.
[4] Cfr. I: 12 *καὶ τὸν Μελήτου δοῦλον.*
[5] Cfr. Kühn. § 416 annot 2 et Curtii Erläuterungen pag. 171 fin. Hartung über die casus pag. 25 et 26. Cfr. præterea Herod. I: 67, VII: 68 Xen. Anab. I: 5, 7 alios.
[6] Vide Kühn. § 414 b). Cfr. § 405 b). Cfr. præterea Dem. Thucyd. Xen. hac in re.

πεισάντων με ἐλθεῖν εἰς τοιαύτην συμφορὰν τῶν φρενῶν; quæ Lysiæ quoque usitata est: XII: 19 *εἰς τοσαύτην ἀπληστίαν ἀφίκοντο*; XXXII: 19; Isocr. VII: 47; qua in re contendere audemus, sæpius occurrere constructionem illam priorem. —

Quod attinet ad verba, quibus subjungitur genitivus, simplicissimus est genitivus cum verbis *εἶναι, γίγνεσθαι* sim. conjunctus, ad significandum, quid sit bonum, officium, proprium sim. alicujus, cujus usus multa afferri possunt exempla velut I: 36, 39, 53, 118, 126; III: 14, 23; IV: 1, 24, 39 alia. Præterea genitivus in hac significatione verbo, quod est *ποιεῖν*, subjicitur III: 26 *νικήσαντες δὲ τὴν Κορινθίων Ἀργείων ποιήσωμεν*, quod construendi genus, quum ab usu scriptorum non plane abhorreat, rarius tamen occurrere credimus. [1] His præterea verbis, quibus alii scriptores orationis solutæ sæpius alias structuras subjungere solent, genitivus apud Andocidem apponitur:

ἐκλέγειν: I: 92, *Κηφίσιος μὲν οὑτοσὶ πριάμενος ὠνὴν ἐκ τοῦ δημοσίου, τὰς ἐκ ταύτης ἐπικαρπίας τῶν ἐν τῇ γῇ γεωργούντων ἐνενήκοντα μνᾶς ἐκλέξας κτλ*; quod verbum hic genitivum personæ habet, quum alias in hac significatione persona per *ἐκ* l. *παρά* præpositiones reddi solet [2] ex. gr. Thucyd. VIII: 44, 3 *οἱ δὲ χρήματα μὲν ἐξέλεξαν ἐς δύο καὶ τριάκοντα τάλαντα, οἱ Πελοποννήσιοι, παρὰ τῶν Ῥοδίων;* Xen. oec. IV: 9.

ἐπαυρίσκεσθαι II: 2, *εἴ τι ὑμᾶς χρὴ ἀγαθὸν ἐμοῦ ἐπαυρέσθαι*, quod verbum raro apud Atticos occurrit, sæpe autem apud poëtas, qui hoc modo scribunt ex. gr. apud Hom. Il. I: 410 et apud alios; persona præterea per *παρά* præpositionem redditur, res autem nonnunquam per accusativum. [3]

προκινδυνεύειν IV: 1, *πολίτου δὲ ἀγαθοῦ νομίζω προκινδυνεύειν ἐθέλειν τοῦ πλήθους*, sæpius hoc verbum cum præpositione *ὑπέρ* conjungitur, ut apud Lysiam, Isocr. alios. [4]

Nonnulla quoque verba, quibus alias subjungi solet genitivus, cum præpositione quadam conjuncta inveniuntur:

ἀπαλλάττεσθαι cum *ἐκ* et *παρά* præpositionibus conjungitur II: 16, *ἀλλ' ὅμως καὶ ἐκ τούτων τοιούτων ὄντων ἀπαλλαγεὶς οὐκ ἔστιν κτλ*, IV: 17, *καὶ οὐ πρότερον ἀπηλλάγη πρὶν ἀποδρὰς ᾤχετο τετάρτῳ μηνί, τοὺς φύλακας λαθών, ὥσπερ παρὰ βασιλέως*; [5] I: 59, *καὶ τὴν πόλιν ἐκ φόβου καὶ κακῶν τῶν μεγίστων ἀπήλλαττον.* Huic verbo apud scriptorem nostrum genitivus solus apponitur I: 66, *πολλῶν κακῶν καὶ κινδύνων ἀπαλλαγέντες;* I: 68, II: 10, 24, 26. [6]

κατηγορεῖν sequitur præpositio *περί* I: 137, *Κατηγόρησαν δέ μου καὶ περὶ τῶν ναυκληριῶν*

---

[1] Cfr. Passow ad hoc verbum et Kühn. § 418, 3 Cfr. etiam Thucid. III: 58, 4: *ὑμεῖς δὲ εἰ κτείνετε ἡμᾶς καὶ χώραν τὴν Πλαταιίδα Θηβαΐδα ποιήσετε κτλ.*

[2] Vide Kühn. § 411 annot. 10 a) et Passow.

[3] Cfr. Kühn. § 416,3 et annot. 9 et Passow.

[4] Vide Passow.

[5] Cfr. Mejeri Opusc. Acad. ad hunc paragr.

[6] Cfr. Kühn. § 421,3 et annot. 2.

καὶ περὶ τῆς ἐμπορίας; IV: 38, *εἰ δέ τις τῶν ἀποφυγόντων πάλιν περὶ τῆς αὐτῆς αἰτίας κατηγορεῖ κτλ.* Hoc in verbo tamen annotandum rarius ei genitivum rei subjungi.[1]

ἐπιμελεῖσθαι cum præpositione *ἕνεκα* conjunctum invenitur IV: 40, *Οὐ μόνον δὲ αὐτῶν ἕνεκα τῶν παρανομούντων, ἵνα δίκην διδῶσιν, ἐπιμελεῖσθαι ἄξιον κτλ* quod haud scio an nemo umquam præter hunc scripserit auctor.[2]

ἐπιλανθάνεσθαι cum præpositione *περί* conjungitur I: 148, *μὴ τοίνυν εἰ αὐτοὶ τεθνᾶσι καὶ περὶ τῶν πεπραγμένων αὐτοῖς ἐπιλάθησθε.*[3]

μεταμέλει ἐκ præpositionem habet III: 41, *ψηφίσασθε δὲ τοιαῦτα ἐξ ὧν ὑμῖν μηδέποτε μεταμελήσει.*[4]

ἄρχεσθαι præpositiones habet *ἐκ* et *περί* I: 8. *Σκοπῶ μὲν οὖν ἔγωγε, ὦ ἄνδρες, πόθεν χρὴ ἄρξασθαι τῆς ἀπολογίας, πότερον ἐκ τῶν τελευταίων λόγων — — — ἢ περὶ τοῦ ψηφίσματος τοῦ Ἰσοτιμίδου — — — ἢ περὶ τῶν νόμων καὶ τῶν ὅρκων τῶν γεγενημένων.*

Variat construendi ratio verbi *μηνύειν,*[5] habet enim:

1) Accusativum personæ I: 15, *ἐκεῖθεν δὲ ἐπαγγέλλεται τῇ βουλῇ, εἴ οἱ ἄδειαν δοῖεν, μηνύσειν περί(τε) τῶν μυστηρίων, συνεργὸς ὤν, καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς ποιοῦντας μεθ' ἑαυτοῦ κτλ.* bis I: 13, 52, 53, 59.

2) Personam per præpositionem *κατά* redditam I: 14, *Τὰ ὀνόματα οὖν τῶν ἀνδρῶν ἐστι ταῦτα, καθ' ὧν ἐκεῖνος ἐμήνυσεν,* I: 20 bis, 22, 26, 54, 67.

3) Personam per præpositionem *περί* redditam I: 29, *ἀποδέδεικταί μοι ὡς οὔτε ἠσέβηκα οὔτε μεμήνυκα περὶ οὐδενὸς οὔτε ὡμολόγηκα περὶ αὐτῶν.*

4) Conjunctam utramque præpositionem I: 32, *εἰ μέν τι ἠσέβηκα ἢ ὡμολόγηκα ἢ ἐμήνυσα κατά τινος ἀνθρώπων ἢ ἄλλος τις περὶ ἐμοῦ, ἀποκτείνατέ με.*

5) Accusativum rei I: 10, *οὔτ' εἰ ψευδῆ οὔτ' εἰ ἀληθῆ ἐμήνυσαν* I: 13, 14, 20, 28.

6) Rem per præpositionem *περί* redditam I: 10, *οὐδ' οἶδα τοὺς μηνύσαντες ὑμῖν περὶ αὐτῶν* I: 15, 19, 34.

7) Accusativum personæ et genitivum rei I: 52, *οἱ οὐκ ἐμηνύθησαν ὑπὸ Τεύκρου τῶν πεποιηκότων.*

8) Accusativum personæ et rem per *ἐπί* præpositionem redditam I: 35, *Τεῦκρος ἐπὶ τοῖς Ἑρμαῖς ἐμήνυσεν Εὐκτήμονα, Γλαύκιππον κτλ.*

9) Accusativum cum infinitivo I: 16, *αὕτη ἐμήνυσεν ἐν τῇ οἰκίᾳ τῇ Χαρμίδου τῇ παρὰ τὸ Ὀλυμπεῖον μυστήρια ποιεῖν Ἀλκιβιάδην κτλ* I: 17.

---

[1] Vide Kühn. § 421 annot. 8.

[2] Cfr. Kühn. § 419 annot. 4. Thucyd. VI: 54, 6. Xen. An. IV: 8, 25 al. et praterea Thucyd. IV: 118,2. Xen. Anab. V: 7, 10.

[3] Cfr. Kühn. § 417 annot. 12.

[4] Cfr. Kühn. § 419 b).

[5] Cfr. de hoc verbo Passow.

Nomina quoque substantiva, ex verbo *μηνύειν* deducta, ubi cum verbo quodam conjunguntur, easdem præpositiones atque verbum ipsum adsumunt. Qua in re tamen tenendum, hanc constructionem non ex substantivo ipso, sed ex nexu substantivi et verbi pendere. Exempla rem illustrabunt I: 14, *Πρώτη μὲν ὦ ἄνδρες μήνυσις ἐγένετο αὕτη ὑπὸ Ἀνδρομάχου κατὰ τούτων τῶν ἀνδρῶν;* I: 23, *ἢ μήνυσίς τις ἐμή ἐστιν ἢ ἀπογραφή, μὴ ὅτι ἐμὴ καθ' ἑτέρου, αλλ' εἰ καὶ ἄλλου τινὸς κατ' ἐμοῦ;* I: 25, *Αἱ μὲν μηνύσεις ὧδε περὶ τῶν μυστηρίων αὗται ἐγένοντο τέτταρες;* I: 27, *ἐπειδὴ αἱ μηνύσεις ἐγένοντο περὶ τῶν μυστηρίων κτλ;* I: 19, *καὶ γενοίμην μηνυτὴς κατὰ τοῦ κατρὸς τοῦ ἐμαυτοῦ;* I: 20, *είπερ ἐγὼ μηνυτὴς ἐγενόμην περὶ τοῦ πατρός.*

Adjectivorum Relativorum, i. e. quæ per se non certæ satis ac definitæ sunt potestatis, non pauca genitivum rei, qua vagæ eorum notiones continentur et quasi circumscribuntur, adsumunt. Ex orationibus Andocidis hæc tantum afferam: *ἄπαις* [1] I: 117, *ἀπέθανε δὲ ἐν Σικελίᾳ ἄπαις ἀρρένων παίδων,* ad quod adjectivum additur substantivum ejusdem originis atque adjectivum ipsum; *ἐναντίος* [2] I: 58, *ὅπου δὲ τούτων τὸ ἐναντιώτατον ἦν;* I: 136, *ὑμῖν δέ·γε(τὸ) ἐναντίον τούτων,* quod adjectivum plerumque dativum casum adsumit; *ἄτιμος* I: 75, *τούτων ἦσαν οὗτοι ἄτιμοι,* quod adjectivum eam ob causam cum genitivo conjungitur, quod in se habet *α* illud privativum, quod vocant. [3]

Inter exempla genitivi comparativi hæc e multis arrepta afferantur IV: 17, *οὐδὲν γὰρ ἧττον ἐδεδήκει τῶν ὁμολογουμένων δούλων* quod obscurius sane dictum putandum est IV: 29, *βολυόμενος τῇ ὑστεραίᾳ πρότερος τῆς πόλεως χρήσασθαι τοῖς χρυσοῖς χερνιβίοις* IV: 30, *τούτῳ σκηνὴν μὲν Περσικὴν Ἐφέσιοι διπλάσιαν τῆς δημοσίας ἔπηξαν.* Per occasionem moneo ex hujus modi adjectivis in positivo gradu positis pendere non solum talem genitivum, sed expositam etiam nonnumquam particulam comparativam *ἤ* inveniri, quo luculenter patet, vim iis subjici comparativam. [4] Denique hoc quoque annotandum exemplum III: 30, *τήν τε συμμαχίαν ἀποδεικνύντες ὅσῳ κρείττων ἡ σφετέρα εἴη τῶν Ἐγεσταίων καὶ τῶν Καταναίων,* in quo inest comparatio quæ dicitur compendiaria.

Genitivi temporis hæc sufficiant exempla I: 79, *ποιεῖν δὲ ταῦτα τριῶν ἡμερῶν* (intra tres dies) IV: 5, *δέκα ἐτῶν ἡ πόλις οὐδὲν ἀγαθὸν ὑπὸ τούτου τοῦ ἀνδρὸς πείσεται.* [5]

Neque desunt exempla genitivi pretii [6] I: 133: *ἵν' αὐτοῖς ἀμφότερα ᾖ καὶ μὴ ὑπερβάλλωσι λαβεῖν ἀργύριον καὶ ὀλίγου πραθείσης μετασχεῖν;* II: 4, *οὐδενὸς ἂν χρήματος δεξάμενοι ὑμᾶς τι ἀγαθὸν ἐξ ἐμοῦ πρᾶξαι;* cfr. II: 21, *ἐδεξάμην δ' (ἂν) ἀντὶ πάντων χρημάτων εἶναι ἐν ἀσφαλεῖ φράσαι πρὸς ὑμᾶς κτλ* et IV: 13, *ὃς τὴν Καλλίου γήμας ἀδελφὴν ἐπὶ δέκα ταλάντοις.*

---

[1] Cfr. de hoc adjectivo Passow. Kühn. § 421 annot. 5.
[2] Vide Kühner § 416,5 et § 423,21. Cfr. IV: 20, I: 118.
[3] Cfr. Kühn. 421 annot. 5 et Krug. 47, 26, 10.
[4] Cfr. Kühn. § 420 annot. 4, Thucyd. I: 10,3. Herod. V: 57, alios.
Cfr. Kühn. § 418,8. De discrepantia accusativi et genitivi temprois vide Hartung. pag. 43.
[6] Vide Kühn. § 418,6. Curt. 421.

Absolutus vero genitivus imprimis notabilis est in participiis, quæ neque nomine neque pronomine addito ita ponuntur, ut ipsa per se integram efficiant enuntiationem, [1] cujus rei exemplum hoc afferamus I: 133, *οἱ διὰ τοῦτο ἔμοιγε δοκοῦσι συλλεγῆναι ἐκεῖσε, ἵν' αὐτοῖς ἀμφότερα ᾖ καὶ μὴ ὑπερβάλλωσι λαβεῖν ἀργύριον καὶ ὀλίγου πραθείσης* (parvo venumdato vectigali) *μετασχεῖν.* Notabilius vero hoc exemplum putamus, in quo nomen numerale nullo addito participio locum genitivi absoluti occupat I: 78, *καὶ ὅσα ὀνόματα τῶν τετρακοσίων τινὸς ἐγγέγραπται.* [2]

De usu dativi.

Venimus ad dativum, usum hujus casus Andocideum expositurі. Ac primum quidem verba, quibus subjungitur hic casus, intueamur, quod tamen quum dicimus non ita acceptum volumus, ut negemus, non tam ex singulis verbis quam ex universa sententia dativum aptum existimandum esse. [3]

Nonnullis verbis dativum subjecit Andocides, quæ raro aqud alios scriptores cum hoc casu conjuncta inveniuntur:

εἰσέρχεσθαι II: 10, *ἐπειδὴ δὲ χρόνῳ ὕστερον εἰσῆλθέ μοι, ὥσπερ εἰκός, ἐπιθυμία τῆς τε μεθ' ὑμῶν πολιτείας ἐκείνης καὶ διαίτης,* quod verbum in hac significatione sæpissime scriptores cum accusativo conjunctum habent [4] ex gr. *πόθος εἰσέρχεταί με* sim.

λοιδορεῖν I: 67, *ὅστις εἰσηγησαμένῳ μὲν Εὐφιλήτῳ πίστιν τῶν ἐν ἀνθρώποις ἀπιστοτάτην, ἠναντιώθην καὶ ἀντεῖπον καὶ ἐλοιδόρησα (ἐκείνῳ) ὧν ἦν ἄξιος,* ubi tamen *ἐκείνῳ* vecabulum uncinis inclusum habet Blassius. In forma activa quæ dicitur hoc verbum sæpius cum accusativo [5] conjungitur velut apud Xen. Anab. III: 4, 49, *Οἱ δ' ἄλλοι στρατιῶται παίουσι καὶ βάλλουσι καὶ λοιδοροῦσι τὸν Σωτηρίδαν;* VII: 5, 11 aliosque.

ἀπογίγνεσθαι II: 10 *Καίτοι ἐγὼ τοτ' αὐτὸς γνοὺς τὰς ἐμαυτοῦ συμφορᾶς, ᾧτινι κακῶν τε καὶ αἰσχρῶν οὐκ οἶδ' εἴ τι ἀπεγένετο,* quod verbum plurimum absolute ponitur aut cum genitivo rei conjungitur. [6]

Duobus verbis præpositiones apposuit, ubi dativo solo contenti essemus.

ὀργίζεσθαι I: 8, *ὃ δέ με ποιεῖ μάλιστι ἀπορεῖν, ἐγὼ ὑμῖν ἐρῶ, ὅτι οὐ πάντες ἴσως ἐπὶ πᾶσι τοῖς κατηγορουμένοις ὁμοίως ὀργίζεσθε.* [7] Habet præterea in hac significatione hoc verbum præpositiones *διά* ex gr. apud Xen. Anab. I: 2, 26, *διὰ τὸν ὄλεθρον τῶν συστρατιωτῶν*

[1] Cfr. Kühn. 486 annot. 2.
[2] Cfr. Curt. § 428 annot.
[3] Cfr. Kühn. § 422,1.
[4] Cfr. Passow et Krüg. § 48, 11, 4.
[5] Cfr. præterea Kühn. §§ 409,1 et 423 annot. 22. Curt. § 430 annot. 1.
[6] Cfr. Passow, Melin, Thucyd. I: 39,3.
Cfr. Krüg. § 48, 15, 6. Curt. § 439 annot.

ὀργιζόμενοι et *ὑπέρ* [1] sequente genitivo, ne genitivum solum omittam. *ἐνέχεσθαι* I: 44, *καταλιπόντες τοὺς ἐγγυητάς, οὓς ἔδει (ἐν) τοῖς αὐτοῖς ἐνέχεσθαι ἐν οἶσπες οὓς ἠγγυήσαντο;* I: 94, *τὸν βουλεύσαντα ἐν τῷ αὐτῷ ἐνέχεσθαι καὶ τὸν τῇ χειρὶ ἐργασάμενον*, quod construendi genus quamquam habet Lysias quoque, in prima oratione § 32, sæpius tamen huic verbo subjungitur dativus solus. [2]

Structuras præterea nonnullas habet scriptor, quas non censemus omittendas. Legitur III: 11, *σπονδὰς δέ, ὅταν κρατήσωσι κατὰ τὸν πόλεμον, οἱ κρείττους τοῖς ἥττοσιν ἐξ ἐπιταγμάτων ποιοῦνται κτλ;* III: 29, *οἵτινες πρῶτον μὲν βασιλεῖ τῷ μεγάλῳ — — σπονδὰς ποιησάμενοι καὶ συνθέμενοι φιλίαν εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον.* Exspectatur pro *ἥττοσιν* et *βασιλεῖ* expositam præpositionem *πρός* sequente accusativo. Cfr. ex gr. Thucydidem I: 115, 1, *ἀναχωρήσαντες δὲ ἀπ' Εὐβοίας οὐ πολλῷ ὕστερον σπονδὰς ἐποιήσαντο πρὸς Λακεδαιμονίους κτλ;* ita V: 76, 2. Andocides etiam ipse compluribus locis scriptum habet *εἰρήνην ποιεῖσθαι πρός τινα* velut III: 2, 6, 11 et I: 80, *ἐπεὶ δ' αἱ σπονδαὶ πρὸς Λακεδαιμονίους ἐγένοντο* hoc construendi genus amplexus est. Porro scriptum invenitur I: 120, *αἰσθόμενος δ' ἐγὼ εὐθὺς ἔθηκα παράστασιν, καὶ ἔλαχον προτέρῳ μὲν Λεάγρῳ κτλ.* Addi solet in hujusmodi formulis *δίκην*. [3] Extat solita constructio verbi *ἐπιτρέπειν* IV: 7, modo subaudiantur infinitivi *λοιδορεῖν* et *χαρίζεσθαι* IV: 7, *καὶ μήτε τοῖς λοιδορουμένοις μήτε τοῖς ὑπὲρ καιρὸν χαριζομένοις ἐπιτρέπειν*, nam aliter hoc enuntiatum recte intelligi non potest. (Cfr. I: 21, 136.) I: 100 *εἶτα σὺ περὶ ἑταιρείας ἐμοὶ μνείαν* [4] *ποιῇ καὶ κακῶς τινας λέγεις* III: 25, *ἀναμνήσθητε γὰρ ὦ Ἀθηναῖοι τῆς ἡμέρας ἐκείνης ὅτε Βοιωτοῖς τὴν συμμαχίαν ἐποιούμεθα* III: 29, *ἀνθ' ὧν βασιλεὺς ὀργισθεὶς ἡμῖν, σύμμαχος γενόμενος Λακεδαιμονίοις κτλ;* I: 9, *τάδε δὲ ὑμῶν δέομαι, μετ' εὐνοίας μου τὴν ἀκρόασιν τῆς ἀπολογίας ποιήσασθαι, καὶ μήτ' ἐμοὶ ἀντιδίκους καταστῆναι κτλ*, quod exemplum, quamquam re vera adjectivum est vocabulum *ἀντίδικος*, huc retulimus, quum plerumque substantive usurpatum inveniatur hoc vocabulum.

Inter adjectiva, quibus subjungitur apud Andocidem hic casus, hæc tantum digna putavi quæ afferrem: *κοινός* [5] I: 90, *Φέρε δὴ τοίνυν, οἱ ὅρκοι ὑμῖν πῶς ἔχουσιν; ὁ μὲν κοινὸς τῇ πόλει ἁπάσῃ κτλ;* item III: 17, 19, 34; cum genitivo conjungitur II: 1 *εἴπερ γὰρ ἡ πόλις ἁπάντων τῶν πολιτευομένων κοινή ἐστι* aliisque in locis; *ἐναντίος* [6] I: 5, *ἐγὼ δὲ ὦ ἄνδρες πολὺ τὴν ἐναντίαν τούτοις γνώμην ἔχω* item I: 98, 101, 103, II: 2, 14, IV: 3, 12; genitivum bis habet I: 58, 136, [7] *ἔνοχος* [8] I: 82, *εὕρισκον τῶν νόμων τῶν τε Σόλωνος καὶ τῶν Δράκοντος πολλοὺς ὄντας οἷς πολλοὶ τῶν πολιτῶν ἔνοχοι ἦσαν τῶν πρότερον ἕνεκα γενομένων.* Habet hoc

[1] Vide Passow.
[2] Vide Passow.
[3] Cfr. Passow.
[4] Cfr. Passow.
[5] Cfr. Kühn. § 423, 9 et 416 1.
[6] Cfr. Kühn. § 423, 13.
[7] Cfr. quæ de hoc adjectivo allata sunt in disp. de genit.
[8] Cfr. Kühn. 419, 2 et Passow.

adjectivum apud Lysiam genitivum uno tantum loco XIV: 5, *Τολμῶσι γάρ τινες λέγειν ὡς οὐδεὶς ἔνοχός ἐστι λιποταξίου οὐδὲ δειλίας*, item apud Antiphontem VI: 46, *ἔνοχον εἶναι τοῦ φόνου*, sed præter locum allatum semper apud Lysiam dativum habet. Apud Andocidem sequitur hoc adjectivum præpositio *ἐν* I: 79 *ἔνοχον εἶναι τὸν παραβαίνοντα ταῦτα ἐν τοῖς αὐτοῖς ἐν οἷσπερ οἱ ἐξ Ἀρείου πάγου φεύγοντες.* —

δυσμενής: II: 2 *δεῖ γὰρ αὐτοὺς ἤτοι ἀμαθεστάτους εἶναι πάντων ἀνθρώπων, ἢ τῇ πόλει ταύτῃ δυσμενεστάτους*, quod idem adjectivum cum genitivo quoque conjungitur.[1] Item II: 3.

δεινός: I: 64 *ἐκείνοις δὲ οὐκ ἐμὲ δεινὸν εἶναι, ὅτι οἶδα, ἀλλὰ μᾶλλον αὐτὸ τὸ ἔργον πολλῷ ὅτι πεποίηται.* Denique his addendum participium *προσήκων:* I: 126 *λαβόντες δὲ οἱ προσήκοντες τῇ γυναικὶ τὸ παιδίον ἧκον ἐπὶ τὸν βωμὸν Ἀπατουρίοις*, quod participium vi substantiva indutum sæpe genitivum habet ut apud Thucyd. I: 128, *εἶχον δὲ Μῆδοι αὐτὸ καὶ βασιλέως προσήκοντές τινες κτλ.* et Andocidem IV: 23. Cfr. tamen Xen. Hell. I: 7, 21. Anab. I: 6, 1.

Usum dativi commodi et incommodi qui dicitur in hac lingua sicut in latina late patere variisque occurrere significationibus constat.[2] Nostrum erit nonnullis ex orationibus Andocidis exscriptis exemplis docere, quatenus usus hujus dativi apud hunc auctorem patuerit: I: 15, *Μέμνησθε δέ, ὦ ἄνδρες, ὅτι καὶ ταῦθ' ὑμῖν προσομολογεῖται ἅπαντα*, ubi vertendum *ὑμῖν* coram vobis; eandem fere significationem dativus habet in hoc exemplo: I: 19, *Τὰ μὲν γενόμενα ἠκούσατε, ὦ ἄνδρες, καὶ ὑμῖν οἱ μάρτυρες μεμαρτυρήκασι;* porro I: 31, *οἵτινες ὅρκους μεγάλους ὀμόσαντες οἴσετε τὴν ψῆφον περὶ ἐμοῦ, καὶ ἀρασάμενοι τὰς μεγίστας ἀρὰς ὑμῖν τε αὐτοῖς καὶ παισὶ τοῖς ὑμετέροις αὐτῶν* (pro vobis liberisque vestris); I: 40 *καὶ νῦν ἥκειν κελεῦσαί οἱ* (secum) *εἰς τὴν Λεωγόρου οἰκίαν;* I: 67, *ἁμαρτόντων δ' ἐκείνων τὴν ἁμαρτίαν αὐτοῖς συνέκρυψα*, ubi vertitur *αὐτοῖς* cum iis et in gratiam eorum; I: 101, *ἦλθες εἰς Δεκέλειαν καὶ ἐπετείχισας τῇ πατρίδι τῇ σεαυτοῦ*, et eam contra patriam tuam munivisti. Exemplorum hujusce dativi silva est: I: 12, 28, 47, 81, 90, 95, 105, 108, 134, 135, 140, 142. II: 22, 23, 24. III: 7, 12, 20, 22, 29. IV: 11, 25, 30, 37 aliorum.

Ubi exspectes præpositionem *ὑπό* sequente genitivo, dativum sæpe usurpavit Andocides, quem dativum non solum perfectis passivis et participiis eorum sed etiam aliis subjecit formis passivis[3]. Exemplis rem illustrabo: I: 10, *περὶ τῶν μυστηρίων ὡς οὔτ' ἐμοὶ ἠσέβηται οὐδὲν οὔτε μεμήνυται οὔθ' ὡμολόγηται;* I: 29, *ἀποδέδεικταί μοι ὡς οὔτε ἠσέβηκα κτλ.* item I: 33, 63, 70, 71, 147. III: 13. IV: 39 aliisque in locis; I: 55, *νῦν γὰρ ἐμὲ μὲν λόγον (δεῖ) διδόναι τῶν ἐμοὶ πεπραγμένων;* I: 106, *Ἵνα δὲ εἰδῆτε, ὦ ἄνδρες, ὅτι τὰ πεποιημένα ὑμῖν εἰς ὁμόνοιαν οὐ κακῶς ἔχει;* I: 148. II: 17, 19. IV: 8, 31, 34, 41. Cum aoristi tempore hujusmodi dativus conjungitur: II: 13, *Τούτων τοίνυν οὕτως ἐχόντων οὐκ ὀλίγῳ μοι παρὰ γνώμην εὑρέθη τὰ ἐνταῦθα πράγματα ἔχοντα.* Neque tamen desunt exempla, in quibus

---

[1] Cfr. Kühn. § 423 annot. 24.
[2] Cfr. Kühn. 423, 24; Curt. § 431.
[3] Cfr. Kühn. § 423, 25 c). Curt. § 434.

hujusmodi verborum formis addita est præpositio *ὑπό* velut I: 56 *(ἀλλὰ πρῶτον μὲν ὑμᾶς) εἶτα δὲ καὶ τοὺς ἄλλους ἅπαντας μαθεῖν ὅτι οὔτε μετὰ κακίας οὔτε μετ' ἀνανδρίας οὐδεμιᾶς τῶν γεγενημένων πέπρακται ὑπ' ἐμοῦ οὐδέν;* I: 25, *οἱ δ' ἥκουσι καί εἰσιν ἐνθάδε καὶ πάρεισιν ὑπ' ἐμοῦ κεκλημένοι.* Ac quidem in differentia hujus utriusque generis dicendi perspicienda facile observare licet, structura illa, qua redditur persona quæ dicitur agentis per præpositionem *ὑπό* quaque quidem plenius exponitur auctor ipse, perspicuitatem quandam effici majorem, latius autem patere personam illam per dativum redditam, nam dativus non tam auctorem actionis significat quam eum, ad quem redundat actio ipsa.[1]

Frequens est usus dativi ethici[2] qui vocatur, quem ad verba *καλεῖν, λαμβάνειν, ἀναγιγνώσκειν, ἔχειν* addidit Andocides. Loci sunt: I: 13, 14, 15, 18, 28, 34, 46, 69, 76, 82, 85, 87, 90, 96, 112, 123, 127 aliique.

Dativi instrumentalis[3], qui significat, quo quis instrumento non solum corporis, sed etiam ut ita dicam animi aliquid efficiat, hæc afferamus exempla: I: 94, *τὸν βουλεύσαντα ἐν τῷ αὐτῷ ἐνέχεσθαι καὶ τὸν τῇ χειρὶ ἐργασάμενον;* I: 97. I: 144, *ἔπειτα δὲ καινὸν βίον εἰργασάμην ἐκ τοῦ δικαίου, τῇ γνώμῃ καὶ ταῖν χεροῖν ταῖν ἐμαυτοῦ;* III: 10. IV: 9, 32 alia. Per pronomen redditur hic dativus III: 5, *ἀντὶ δὲ τῶν τριήρων αἱ τότε ἡμῖν ἦσαν παλαιαὶ καὶ ἄπλοι, αἷς βασιλέα καὶ βαρβάρους καταναυμαχήσαντες ἠλευθερώσαμεν τοὺς Ἕλληνας κτλ.*

Variat cum hoc dativo præpositio *κατὰ* sequente accusativo III: 11, *ὅταν κρατήσωσι κατὰ τὸν πόλεμον.* Cfr. ea, quæ sequuntur: *ὥσπερ ἡμῶν κρατήσαντες Λακεδαιμόνιοι τῷ πολέμῳ κτλ.* et III: 39 *κρατηθέντες δὲ τῷ πολέμῳ τά τε ἄλλα ἀπωλέσαμεν κτλ.*

Pervenimus ad dativum causæ[4] qui vocatur, qui non solum verbis passivis velut I: 37, 114, IV: 26 et mediis: I: 140, II: 9, 24 subjicitur, sed etiam activis, velut I: 56, II: 7, 24, aliisque in locis.

Minus usitatus est Andocidi dativus limitationis[5]: I: 119 *ἠξιοῦμεν ἂν γένει ὄντες ἐγγυτάτω ἔχειν τὰς παῖδας;* III: 16 *εἰ τοίνυν περὶ τούτου μὲν ἔδει πολεμεῖν, χρήματα δὲ ὑπῆρχεν ἡμῖν ἱκανά, τοῖς δὲ σώμασιν ἦμεν δυνατοί, οὐδὲ οὕτως ἔδει πολεμεῖν;* IV: 42 *καίτοι τυγχάνω νενικηκὼς εὐανδρίᾳ καὶ λαμπάδι καὶ τραγῳδοῖς κτλ.*

Jam supra in disputatione de usu accusativi ostendimus, sæpe occurrere accusativum quem dicunt Grammatici mensuræ. Non tamen deesse apud hunc auctorem dativum mensuræ[6] hæc ostendent exempla: I: 24 *ἢ που τάχα πολλῷ φαυλότερα ῥᾳδίως ὑμῖν ἀποδείξω ψευδομένους αὐτούς;* I: 64 *ἐκείνοις δὲ οὐκ ἐμὲ δεινὸν εἶναι, ὅτι οἶδα, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ ἔργον πολλῷ;* II: 10 *ἐπειδὴ δὲ χρόνῳ ὕστερον εἰσῆλθέ μοι, ὥσπερ εἰκός, ἐπιθυμία κτλ.* III: 30 *τήν τε συμμα-*

---

[1] Cfr. Kühn. § 423 annot. 27.
[2] Cfr. Kühn. § 423, 25 d).
[3] Vide Kühn. § 425, 2, 3. Curt. § 438 a).
Cfr. Kühn. § 425, 8. Curt. § 438 b).
[5] Vide Kühn. § 425, 9.
[6] Vide Kühn § 425, 10. Curt. § 440.

χίαν ἀποδεικνύντες ὅσῳ κρείττων ἡ σφέτερα εἴη τῶν Ἐγεσταίων καὶ τῶν Καταναίων κτλ. II: 19, IV: 16, 22, in quibus ad comparativa additur hic dativus. Sed etiam ad talia additur vocabula, in quibus est vis comparativa velut II: 13. *Τούτων τοίνυν οὕτως ἐχόντων οὐκ ὀλίγῳ μοι παρὰ γνώμην εὑρέθη τὰ ἐνταῦθα πράγματα ἔχοντα;* II: 17 *Ὁρᾶν δὲ χρή, ὦ Ἀθηναῖοι, ὅσῳ τὰ τοιαῦτα τῶν ὑπουργημάτων διαφέρει.* Collatis igitur inter se exemplis, in quibus occurrit accusativus et dativus mensuræ, facile inveniemus, apud Andocidem sicut apud alios scriptores sæpius occurrere dativum.

Exempla alia enumerare dativi modi [1] omittimus, quum nihil habeant miri, hæc tantum afferamus, in quibus redditur hujusmodi dativus per pronomen: I: 25 *Αἱ μὲν μηνύσεις ὧδε περὶ τῶν μυστηρίων αὗται ἐγένοντο τέτταρες;* I: 65 *ἐξελέγχοντες δὲ τὸ πρᾶγμα ἥ τε βουλὴ καὶ οἱ ζητηταί, ἐπεδὴ ἦν ᾗ ἐγὼ ἔλεγον καὶ ὡμολογεῖτο πανταχόθεν κτλ.* Per occasionem moneo, usurpari in eadem vi atque hunc dativum præpositiones *ἐκ* sequ. genit. et *ἐπί* sequente dativo: I: 1 *ὥστ' ἐμὲ κακῶς ποιεῖν ἐκ παντὸς τρόπου καὶ δικαίως καὶ ἀδίκως* II: 5 *τὸ δ' ἰσχυρὸν τοῦτο μόνον εὕροι τις ἂν αὐτῶν ἐν τοῖς λόγοις, τὰς ἐμὰς συμφορὰς ἐπὶ παντὶ ὀνειδίζειν.* Cfr. præterea III: 18.

In usu dativi temporis observare licet, ad vocabulum tempus ipsum significans, semper additum esse vocabulum aliud quoddam sive adjectivum sive substantivum in casu genitivo constructum sive articulum. Loci sunt: I: 28, 36, 39, 41, 63, 121, 127, 137, 149. IV: 17, 29 alii. Multis tamen locis addita reperitur præpositio velut I: 36, 40, 83. III: 5, 6, 22, 38. IV: 3, aliis. [2] — Nomina dies festos significantia tali carent vocabulo addito. Quorum exempla, quum jam in usu articuli enumeraverim, hic omittantur. — Ad hunc dativum referendum, credo, exemplum, quod occurrit I: 120 *εἰ μὲν σὺ βούλει ἐπιδικάζεσθαι, ἔχε τύχῃ ἀγαθῇ κτλ.,* [3] quæ gratulandi formula usitatissima erat Græcis; cfr. quod latine dicitur: quod bonum faustum felixque sit.

Denique silentio non est prætereundum, usurpasse etiam Andocidem, poëtarum maxime more, dativum illum localem [4], qui dicitur I: 111 *ἐπειδὴ γὰρ ἤλθομεν Ἐλευσινόθεν καὶ ἡ ἔνδειξις ἐγεγένητο, προσῄει ὁ βασιλεὺς περὶ τῶν γεγενημένων Ἐλευσῖνι κατὰ τὴν τελετὴν κτλ.*

De usu adjectivorum.

Jam vero, ut usum adjectivorum paucis attingam, videre licet, variare adjectiva et adverbia in eadem fere significatione posita, cujus scribendi generis exempla afferam, quæ

[1] Vide Kühn. § 425, 11. Curt § 441 a).

[2] De præpositione *ἐν* addita et omissa cfr. Kühn. § 426 annot. 4 et Krüg. § 48, 2 annot. 3. Frohberger ad Lysiam I: 42. Cfr. etiam Kühn. § 426 annot. 5.

[3] Cfr. Kühn. § 426, 3.

[4] Cfr. Kühn. § 426, 1 et annot. 2.

ad hunc usum illustrandum apta videantur: I: 3, *εἰκότως δ' ἄν, ὦ ἄνδρες, τὴν αὐτὴν γνώμην ἔχοιτε περί τῶν ἐθελοντῶν εἰς τοὺς κινδύνους καθισταμένων, ἥνπερ αὐτοὶ περὶ αὑτῶν ἔχουσιν;* I: 91 *καὶ οὐ δέξομαι ἔνδειξιν οὐδὲ ἀπαγωγὴν ἕνεκα τῶν πρότερον γεγενημένων;* I: 104, *εἰ οὖν γνώσονται ὑμᾶς ἀποδεχομένους τὰς κατηγορίας τῶν πρότερον γεγενημένων* et mox infra: *ἢ τίνα αὐτῶν ἐθελήσειν εἰς ἀγῶνας καθίστασθαι ἕνεκα τῶν πρότερον γεγενημένων κτλ.* Qua in re quod dicit Klotzius, vir ille doctissimus, in hujusmodi exemplis æque bene legi posse adjectivum atque adverbium, [1] observandum censemus, re vera usurpari non posse adjectivum ubi tale vocabulum ad prædicatum solum enuntiationis referri neque ad subjectum sive objectum ejusdem redundare putandum est. [2] Etenim ipse confessus est, in locis I: 89 et 108 non tam bene legi posse adjectivum. Quam differentiam supra indicatam quamquam omnino observari constat, non tamen desunt loci, in quibus eam omiserunt scriptores, [3] quod idem fecisse his in locis Andocidem putamus. Præterea conferendi sunt hi duo loci: III: 22, *εἶτα δὲ συμμαχίαν ποιησάμενοι, Βοιωτοὺς καὶ Κορινθίους ἀποστήσαντες αὐτῶν, Ἀργείους δὲ ἀγαγόντες εἰς τὴν πρότερον φιλίαν, αἴτιοι τῆς ἐν Κορίνθῳ μάχης ἐγενόμεθα αὐτοῖς;* IV: 24, *ἐγὼ δὲ νομίζω μέγιστα κακὰ τὴν πόλιν ὑπὸ τούτου πείσεσθαι καὶ τηλικούτων πραγμάτων εἰς τὸν λοιπὸν χρόνον αἴτιον δόξειν, ὥστε μηδένα τῶν προτέρων ἀδικημάτων μεμνῆσθαι.*

Quod in lingua latina fit, ut adjectivis in gradu comparativo positis nonnumquam subjiciatur eadem fere significatio, quam in positivo habent, paulo tamen auctior, idem in lingua quoque græca fieri videmus II: 6, *ὧν ἕνεκα, ὦ Ἀθηναῖοι, εἰ ἀνθρωπίνως περὶ ἐμοῦ γιγνώσκοιτε, εἴητε ἂν ἄνδρες εὐγνωμονέστεροι.* Cfr. quod legitur IV: 4, *τῶν δὲ δημοσίων μικρὰν καὶ οὐδενὸς ἀξίαν ἡγοῦμαι,* ubi augetur quodammodo significatio adjectivi in positivo gradu positi. In usu præterea particulæ comparativæ *ἢ* inconstantiam quandam observavimus. Ita hanc particulam omissam invenimus [4] IV: 11, *σκέψασθε δὲ πῶς ἄν τις κακὰ μείζω τούτων κατασκευάσειεν, εἰ τῆς σωτηρίας ἡμῖν πάσης διὰ τῶν συμμάχων οὔσης — τὸν φόρον ἑκάστοις ἐδίπλασεν,* ubi ante *εἰ* exspectatur hæc particula exposita; contra legitur I: 125, *ἡ δὲ τοῦ Ἰσχομάχου θυγάτηρ τεθνάναι νομίσασα λυσιτελεῖν ἢ ζῆν ὁρῶσα τὰ γιγνόμενα κτλ,* in quo exemplo omissum est adverbium, quod est *μᾶλλον.* [5]

Jam supra in disputatione de casibus ea attulimus, quæ in construendi genere adjectivorum notabilia viderentur. Hic addamus, nonnulla adjectiva cum præpositione quadam conjuncta apud auctorem nostrum reperiri, quod quum a scribendi genere scriptorum aliorum non abhorreat, non nihil tamen ad genus scribendi Andocidis illustrandum valere putamus. Sunt: *πρόθυμος, δίκαιος, χρηστός* I: 50, *ἔτι δὲ ἐμέ, ὃς ἐν ἅπαντι τῷ βίῳ ἠνίασα μέν σε οὐδὲν πώποτε, προθυμότατος δὲ εἰς σὲ καὶ τὰ σὰ πράγματά εἰμι;* I: 136, *οἷς καὶ προσήκει ἀνδράσιν εἶναι*

[1] Cfr. Kritische Beurtheilungen von R. Klotz, neue Jahrbücher für Philologi 1835.
[2] Cfr. Kühn. § 405, 2 annot. 2.
[3] Cfr. Kühn. § 405 annot. 3.
[4] Cfr. Kühn. § 542, 1.
[5] Cfr. Kühn. § 542 annot. 2.

καὶ ἀγαθοῖς καὶ δικαίως περὶ τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον κτλ; II: 26, *ὧν καὶ ἕνεκα εἰκὸς ὑμᾶς, ἐὰν χρηστὸς ὢν ἀνὴρ εἰς ὑμᾶς φαίνωμαι κτλ.*

Sub finem hujus de adjectivo disputationis exemplum afferamus prædicati quod dicitur proleptici [1] III: 7, *αὕτη γὰρ ἡ εἰρήνη τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων ὑψηλὸν ἦρε καὶ κατέστησεν ἰσχυρὸν οὕτως ὥστε πρῶτον μὲν ἐν τούτοις τοῖς ἔτεσιν εἰρήνην λαβόντες ἀνηνέγκαμεν χίλια τάλαντα εἰς τὴν ἀκρόπολιν κτλ.*

De usu pronominum.

Pronomina personalia tum tantum constat scripta inveniri, quum aut vis quædam iis additur singularis aut aliis opponuntur vocabulis, [2] quod quidem scribendi genus secutus est Andocides multis locis velut I: 4, 5, 17, 19, 22, 23, 26, 56, 58, 109, in quo proximo additum est pronomen *αὐτός*, aliis. In uno tamen loco tale pronomen omisit I: 32, *εἰ μέν τι ἠσέβηκα ἢ ὡμολόγηκα ἢ ἐμήνυσα κατά τινος ἀνθρώπων ἢ ἄλλος τις περὶ ἐμοῦ, ἀποκτείνατέ με*, ubi deesse putamus pronomen *ἐγώ*, quod subaudiendum est, præsertim quum hoc omisso nullum inveniatur vocabulum, quod ad vocabula *ἄλλος τις* respondeat; qua in re conferas velim ea quæ leguntur I: 17, *ὁ δὲ πείσας καὶ δεόμενος μεῖναι τὸν πατέρα ἐγὼ ἦν μάλιστα, εἶτα δὲ καὶ οἱ ἄλλοι συγγενεῖς.*

Ubi a duobus verbis dissimilibus pendet nomen vel pronomen idem, semel tantum omnino exponitur hujus modi vocabulum, ad verbum propius relatum, licet cum casu non eodem conjungantur hæc verba, [3] quo pertinent exempla I: 134, IV: 17 alia, (cfr. præterea Thucyd. I: 20, 3); semel tamen pronomen personale iteratum invenimus [4] III: 11, *ὥσπερ ἡμῶν κρατήσαντες Λακεδαιμόνιοι τῷ πολέμῳ ἐπέταξαν ἡμῖν καὶ (τὰ) τείχη καθαιρεῖν καὶ τὰς ναῦς παραδιδόναι καὶ τοὺς φεύγοντας καταδέχεσθαι*; quod rarius fieri putamus.

In usu pronominum reflexivorum quæ vocant Grammatici directorum [5] i. e. quæ ad subjectum enuntiationis ejusdem spectant, variatio quædam in ipsis formulis horum pronominum tertiæ personæ deprehenditur. Perraro enim Andocides formulis illis simplicibus usus est, sæpissime autem duplices adhibuit. Exemplis rem illustrabo et primum afferam locos, in quibus simplicibus usus est formis I: 3, *εἰκότως δ' ἄν, ὦ ἄνδρες, τὴν αὐτὴν γνώμην ἔχοιτε περὶ τῶν ἐθελοντῶν εἰς τοὺς κινδύνους καθισταμένων, ἥνπερ αὐτοὶ περὶ αὑτῶν ἔχουσιν* et paulo inferius in eadem sectione: *ὁπόσοι δὲ πιστεύσαντες μηδὲν ἀδικεῖν ὑπέμειναν, δίκαιοί ἐστε καὶ ὑμεῖς περὶ τούτων τοιαύτην ἔχειν τὴν γνώμην οἵαν περ καὶ αὐτοὶ περὶ αὑτῶν ἔσχον*; II: 4,

---

[1] Cfr. Kühn. § 405, 3. Curt. § 361, 8 annot. Krüg. § 57, 4.
[2] Vide Kühn. § 454, 1. Krüg. § 51, 1 et annot. 4. Curt. § 469.
[3] Cfr. Krüg. § 60, 5 annot. 2.
[4] Cfr. Kühn. § 469, 4.
[5] Cfr. Kühn. § 455. Curt. 471. Löfstedt § 73, III: 1.

σημεῖον οὖν τοῦτο ὅτι οὗτοι οὐκ ἀφ' αὑτῶν ταῦτα πράττουσιν. Sæpius autem, ut diximus, formis duplicibus usus est, cujus rei exempla sunt: I: 3, *εἰκότως ἄν τοι καὶ ὑμεῖς τοιαῦτα περὶ αὐτῶν γιγνώσκοιτε οἷά περ καὶ αὐτοὶ περὶ σφῶν αὐτῶν ἔγνωσαν,* I: 49, *οἱ δὲ οἴχονται φεύγοντες, σφῶν αὐτῶν καταγνόντες ἀδικεῖν;* I: 104 *τίνα αὐτοὺς οἴεσθε γνώμην ἕξειν περὶ σφῶν αὐτῶν;* item I: 107, 135, 141; II: 4; III: 11, alia fortasse. In singulari numero variant formæ *αὑτοῦ* et *ἑαυτοῦ:* I: 95, *ὁ μνησικακῶν αὐτὸς αὑτῷ;* I: 100 *ᾧ κατὰ τοὺς νόμους τοὺς ὑμετέρους οὐδ' αὐτῷ ὑπὲρ αὑτοῦ ἔστιν ἀπολογεῖσθαι* I: 131. In hujusmodi pronominibus indirectis [1] ejusdem personæ eadem observatur variatio. In singulari numero tum formam usurpavit *αὑτοῦ* tum *ἑαυτοῦ:* I: 125 *καὶ ἐπειδὴ ἔτεκεν υἱόν, ἔξαρνος ἦν μὴ εἶναι ἐξ αὑτοῦ τὸ παιδίον;* I: 12 *παρεῖναι δὲ καὶ δούλους, ἑαυτόν τε καὶ τὸν ἀδελφὸν κτλ.* IV: 27 *ἢ που ταχέως ἐπέτρεψεν ἀνταγωνίζεσθαι ἑαυτῷ κτλ.* Variat usus in plurali quoque numero: II: 3 *εἰ δὲ μὴ ταὐτὰ ἡγοῦνται σφίσι τε αὐτοῖς συμφέρειν καὶ τῷ ὑμετέρῳ κοινῷ κτλ.;* III: 27 *κελεύουσι γὰρ ἡμᾶς κοινῇ μετὰ σφῶν καὶ μετὰ Κορινθίων πολεμεῖν* omisso *αὐτῶν,* item III: 36 *ἀπὸ δὲ τῶν τειχῶν οὐκ εἶναι σφίσι τροφήν.* Præter formas jam nominatas forma *οἱ* [2] quoque usus est: I: 15 *εἴ οἱ ἄδειαν δοῖεν κτλ.* I: 38 *ἔφη γὰρ εἶναι μὲν ἀνδράποδόν οἱ ἐπὶ Λαυρίῳ;* I: 40, 41, 42, 126, ubi tamen uncinis inclusum est apud Blassium. Ex exemplo primo loco allato videre possumus, ea quæ dixit Loefstedtius in Grammatica sua de hoc pronomine, non plane cum usu hujus auctoris congruere. [3] In usu præterea horum pronominum licentia quædam observatur, qua pro pronomine primæ et secundæ lectum reperitur pronomen tertiæ personæ [4]: I: 114 *εἰ γὰρ ἔθηκα μὲν τὴν ἱκετηρίαν, ὑπήκουσα δὲ μή, ἄλλο τι ἢ αὐτὸς μὲν αὑτὸν ἀπώλλυον τιθεὶς τὴν ἱκετηρίαν;* II: 8 *ἀναμνήσθητε δὲ ἐν οἵῳ κινδύνῳ τε καὶ ἀμηχανίᾳ καθέστατε, καὶ ὅτι οὕτω σφόδρα σφᾶς αὐτοὺς ἐπεφόβησθε κτλ.,* quod dicendi genus contendit Curtius [5] maxime occurrere pronominibus in plurali numero positis. De causa hujus scribendi generis egregie disputavit Kuhnerus [6], quem sequor. Occurrit præterea pronomen, quod est *αὐτός,* in significatione pronominis reflexivi usurpatum: I: 120 *ταύτην Καλλίας ἐπειδὴ Λέαγρον ἐὰν αὐτὸν λαβεῖν κτλ.*

In usu pronominum quæ vocantur reflexivorum possessivorum eadem deprenditur formarum variatio, quam supra memoravimus. Exempla afferam: I: 3, *ὁπόσοι μὲν γὰρ μὴ ἠθέλησαν ὑπομεῖναι καταγνόντες αὑτῶν ἀδικίαν κτλ.* item IV: 12; I: 53 *οἱ νῦν ζῶσι καὶ καθεληλύθασι καὶ ἔχουσι τὰ σφέτερα αὐτῶν;* item I: 107, 138, II: 17, III: 36, I: 139 *εἶτα οἱ μὲν θεοὶ ἐκ τοσούτων κινδύνων ἔσωζόν με, σφῶν δ' αὐτῶν προυστήσαντο τιμωρὸν γενέσθαι Κηφίσιον κτλ.* II: 2; ibd. *τὰ ἐναντία νῦν τῇ ἑαυτῶν ὠφελείᾳ σπεύδοντες* item III: 19! At tamen uno

[1] Cfr. locos Grammaticarum supra allatos allatos et præterea mom. III: 2 paragraphi citati apud Löfstedt.

[2] Cfr. Kühn. § 455 annot. 9. Curt. § 47 annot. 2. Krüg. § 51, 12 et 4.

[3] Cfr. Löfstedt § 73. III: 2 annot. Cfr. etiam Blass., Die Attische Beredsamkeit pag. 292.

[4] Cfr. Kühn. § 455, 7 b).

[5] Vide Grammaticam ejus § 471 annot. 3.

[6] Vide Gram. ejus § 455, 7.

loco omissa est forma *αὐτῶν:* III: 30 *τήν τε συμμαχίαν ἀποδεικνύντες ὅσῳ κρείττων ἡ σφετέρα εἴη κτλ.* In singulari quoque numero variant formæ *αὑτοῦ* et *ἑαυτοῦ:* I: 127 *φάσκων εἶναι υἱὸν αὑτοῦ;* I: 4 *οὗτος ἄρα βουλήσεται περὶ τοῦ σώματος τοῦ ἑαυτοῦ κινδυνεῦσαι;* item II: 18 bis, IV: 15. Sæpius usurpasse Andocidem formas illas duplices, minime est mirum, quum eæ præcipue antiquioribus illis scriptoribus usitatæ fuerint, quibus est adnumerandus ipse. [1]

Ad possessiva jam proprie dicta transeamus, in quibus observavimus, usurpari formam *ἡμέτερος* pro forma *ἐμός:* I: 106 *ἐξ ἧς ὁ ἡμέτερος ἦν πάππος;* III: 6 *ὧν ἦν καὶ Ἀνδοκίδης ὁ πάππος ὁ ἡμέτερος;* III: 41 *μέμνησθε μὲν οὖν ὦ Ἀθηναῖοι τοὺς ἡμετέρους λόγους κτλ.* Rarius multo in hac lingua quam in latina occurrere hoc dicendi genus res est apertissima. [2]

Subjectum enuntiationis quum pluribus verbis immissis longius a verbo sejungitur per pronomen demonstrativum repetitum invenitur: I: 16 *ἡ γυνὴ Ἀλκμαιωνίδου, γενομένη δὲ καὶ Δάμωνος — — — αὕτη ἐμήνυσεν ἐν τῇ οἰκίᾳ τῇ Χαρμίδου — μυστήρια ποιεῖν Ἀλκιβιάδην.* Cfr. I: 12, 27, 132, 149, III: 5 alios locos, ubi aliæ enuntiationis partes per hoc pronomen repetuntur.

Interdum omissum est hoc pronomen [3] non solum ante enuntiationes relativas velut II: 18 *μεγάλη γάρ ἐστιν ἀρετή, ὅστις τὴν ἑαυτοῦ πόλιν ὁτῳοῦν δύναται τρόπῳ ἀγαθόν τι ἐργάζεσθαι;* II: 24 *εἰ γὰρ ὅσα οἱ ἄνθρωποι (τῇ) γνώμῃ ἁμαρτάνουσιν, τὸ σῶμα αὐτῶν μὴ αἴτιόν ἐστιν κτλ.;* quod idem fit IV: 18 et aliis in locis; sed etiam in aliis structuris: IV: 17 *δεομένου δὲ καὶ προφάσεις ἀληθεῖς λέγοντος κτλ.;* exspectatur: *τούτου δεομένου;* IV: 15 *οὐ τοίνυν ταῦτα* (subauditur *αὐτῷ) μόνον ἐξήρκεσεν κτέ.* IV: 20 *οὐκ ἐξὸν ἐπιχειρήσαντα κωλύειν* (audi *αὐτὸν* nempe *Ταυρέαν)* aliis. Vice versa abundat quodammodo hujus modi pronomen: II: 10 *ἐπειδὴ δὲ χρόνῳ ὕστερον εἰσῆλθέ μοι, ὥσπερ εἰκός, ἐπιθυμία τῆς τε μεθ' ὑμῶν πολιτείας ἐκείνης καὶ διαίτης.*

Correlatum, ad quod refertur pronomen relativum, nonnumquam post relativum ipsum lectum reperitur: I: 120 *καὶ ἧς μὲν ἐγὼ ἐπεδικασάμην, ἡ παῖς τύχῃ χρησαμένη καμοῦσα ἀπέθανεν.* Quod insolentius fit apud alios scriptores, iteratum invenimus pronomen relativum: IV: 23 *ἐκ ταύτης γὰρ παιδοποιεῖται τῆς γυναικός, ἣν ἀντ' ἐλευθέρας δούλην κατέστησε, καὶ ἧς τὸν πατέρα καὶ τοὺς προσήκοντας ἀπέκτεινε, καὶ ἧς τὴν πόλιν ἀνάστατον πεποίηκεν κτλ.,* ubi duo proxima relativa aut omittenda aut cum demonstrativis commutanda. [4] Præterea veram significationem hujus pronominis ita omisisse videtur auctor, ut *ὅστις* pro eo quod est *ὅς* legitur [5]: III: 17 *πρῶτον μὲν Λακεδαιμονίους, οἵτινες ἀρχόμενοι μὲν ἡμῖν καὶ τοῖς συμμάχοις πολεμεῖν ἦρχον καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν.*

---

[1] Cfr. Kühn. § 168, 1.
Vide Kühn. § 371, 3.
[3] Cfr. Kühn. § 467, 9 et § 469. Madvig 102.
[4] Cfr. Madvig § 104 a) et b). Kühn. § 561, 1.
[5] Cfr. Löfstedt § 73. VI: 1.

In usu pronominis indefiniti id tantum invenimus dignum, quod afferremus, semel omissum videri hoc pronomen: IV: 9 *ὥστε δεινὸν νομίζω τοὺς μὲν ἁλόντας μιᾷ ψήφῳ μόνον ἀποθνήσκειν, καὶ τὰ χρήματα (ὑμᾶς) δημεύειν αὐτῶν, τῶν δὲ νικησάντων πάλιν τὰς αὐτὰς κατηγορίας ὑπομένειν*, ubi ante vocabula *τῶν δὲ νικησάντων* omissum esse putamus pronomen *τινάς*.

Denique silentio non est prætereundum semel usurpatum reperiri pronomen *ὁπότερος*, ubi jure exspectamus *τὸ ἕτερον* vel *θάτερον*, quod sæpius occurrit. Est locus III: 26 *ἰόντων δὲ Λακεδαιμονίων εἰς Ἄργος πότερον βοηθήσομεν αὐτοῖς ἢ οὔ; πολλὴ γὰρ ἀνάγκη ὁπότερον τούτων ἑλέσθαι.* Cfr. locos: I: 57, II: 7, III: 28.